






3 1761 07960814 7

UNIVERSITY  
OF  
TORONTO  
LIBRARY







L.  
R 9778M

# CLAVDII RVTILII NAMATIANI

DE REDITV SVO

LIBRI II.

ACCEDVNT

HADRIANI FLORI APVLEII ANNIANI SERENI

ALIORVMQVE SAEC. A. V. C. X POETARVM  
RELIQVIAE.

RECENSVIT ET PRAEFATVS EST

LVCIANVS MVELLER.



LIPSIAE,  
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.  
MDCCLXX.

43392  
4/11/98



# ZANGEMEISTERO · SVO

D

L · M





## PRAEFATIO.

Claudius Rutilius Namatianus, de quo nihil nobis constat certi nisi quae carminibus suis memoravit, patre ortus illustrissimo et amplissimis ipse functus honoribus — nam et praefecturam gessit urbis — a. u. c. MCLXVIII in Galliam, e qua ortus erat terra, tum temporis a Gothis vastatam rediit, cuius itineris memoriam duobus libris elegiaco metro scriptis propagavit, e quibus tamen partem quandam prioris cum longe maiore secundi nobis invidit fortuna. — Fuit homo liberaliter eruditus optimisque poetarum exemplis innutritus, id quod et sermonis urbanitate nec minus elegantia metrorum comprobatur, ut haud indignus sit Claudiano et Merobaude, inter quos aetate extitit medius. Idem satis felicitis venae fuit poeticae nec fucatae rhetorum praestigiis appetens orationis (quam tamen ab optimorum saeculorum simplicitate recedere quid mirum?). Quippe facile agnosces sentire eum quae dicat, memorem Horatiani illius praecepti ‘si vis me flere, dolendumst primum ipsi tibi,’ cum alias tum ubi Romae, quae paullo ante ab Alarico erat direpta, casus memorat; quibus lectis qui non vehementius commovebitur, siliceo corde praeditus sit oportet. Religioni autem addictus fuit paganorum, unde passim in Iudaeos et Christianos invehitur. Ea etiam causa potissimum evenisse putem, ut Stilichonem proditi imperii argueret: cui vel maiori vertit probro, quod Sibyllina oracula cremarat.

Opus eius per medium aevum codice quodam coenobii Bobiensis, cui tot praeclara ingeniorum monumenta debemus, servatum cum anno 1494 a Georgio Galbiato esset inventum, paullo post a Thoma Inghiranio, cui Phaedri erat cognomen, descriptum et tandem Romam asportatum est; ex quo exemplari ductum aliud comparavit Iacobus Sannazarius. Dein compluries idem propagatum. Ipse autem archetypus Carolingicae ut videtur aetati compar et litteris exaratus Langobardicis cum Bobii remansisset, circa annum 1700 per Bonnevalum hominem Gallum monasterio subductus et fortasse Eugenio principi donatus ubi nunc terrarum extet — modo aetatem tulerit —, ignoratur. Ex apographo quodam illorum, quae passim ex codice Phaedri ducta sunt, a. 1520 Bononiae Iohannes Baptista Pius typis expressum Rutilii carmen edidit, satis fideliter, ut pro illis temporibus, sed exemplari usus minus bono. Praeter hunc solus Onuphrius Panvinus in recensione a. 1558 publicata scriptum in auxilium vocavit librum, nec ultra additos ab ipso versus l. I, 575—78. — Ex reliquis superiorum saeculorum editoribus, quibus sola ingenii ope res fuit agenda, satis multum profuit Rutilio Iosephus Castalio [a. 1582], minus Pithoeus, Barthiusque et Almeloveenius [a. 1590. 1623. 1687], e quibus is quem primo loco memoravi potuit quidem plurimum praestare illi si id egisset, alter ex more suo oneravit potius poetam, quem emendandum explicandumque sibi sumpserat, quam ornavit, tertius qua erat ingenii aequabili mediocritate in recensendis veterum libris potius culpam vitavit quam laudem meruit. — Sed optime meritus est de Rutilio, cuius librorum reliquias [a. 1731] poetarum latinorum qui vocantur minorum volumini alteri inseruit, Petrus Burmannus ob eam rem quod N. Heinsii plurimas coniecturas publici fecit iuris (nam etiam quae quasi propria affert commenta ex parte certe illum potius auctorem

indicant ac paene clamant). Mox eidem poetae Wernsdorfius haud spernendam et similem reliquis quibus plerosque poetas latinos prosecutus est curis navavit operam [T. V p. I a. 1778]. — Ceterum per saeculorum cursum et in tanta subsidiorum criticorum tenuitate sensim evenerat, ut et recte tradita multa interpolationibus perverterentur et saepe in vitiis tollendis via minus ac ratione quam pro captu et arbitrio cuiusque res gereretur. Huic incommodo primum obviam iit Wernsdorfius comparatis editionibus vetustissimis, et maiore cum cura Zumptius [a. 1840], qui Sannazarii exemplum, de quo supra memoravi, in bibliotheca Vindobonensi prostant illud primum adhibuit, collationem nactus a Ferdinando Wolfio. Idem et enarratione accuratissime facta bene de poeta meritus est, cuius vitam pariter et scripta iam antea observationibus a. 1836 editis illustraverat. — Sed enim hactenus ab illo dissentire cogor, quod cum ipse tanta cum fide vetustissimis librorum sive scriptorum sive impressorum testimoniis adhaeserit, saepe ne aperta quidem menda tollere ut sustineret, nos haudquaquam perinde difficiles fuimus admittendis coniecturis, etiam hic ut ubique rati non minus falli qui nimium codicibus tribuerent quam qui parum.

Ceterum cum suspitio esset orta collatione libri Vindobonensis non satis accurata usum esse Zumptium, de ea re adii Theodorum Gomperzium, virum celeberrimum, qui denuo pervolutato codice non lapsum esse me opinione magna cum comitate rescripsit. Huius igitur viri fide nituntur, siqua aliena a Zumptii testimoniis ex illa notavimus membrana. — Idem addidit dittographiis quae in margine prostant additum fere esse *f.* (i. e. *fortasse*), sed ut bis terve deleta sit haec vox lineola.

Itaque iam quae sive ex priorum inventis adsumpta sive primum novata nobis diversa a lectione Zumptii constituimus, hic loci sub conspectum dabimus. — Eum secuti editorem nota C significamus

codicem Vindobonensem, at illa quae est E editionem Romanam a. 1523, quae quidem ex Bononiensi, de qua supra dixi, est expressa.

Quantum ad nomina auctoris, etsi eo potius ordine antiquitus feruntur tradita, ut sit 'Rutilius Claudius Namatianus', tamen accedendum putavimus eis, qui primum cum altero locum permutare iusserunt, ut Claudius sit praenomine inстар ad significandam nobilitatem, sicut Iulius et maxime Flavius. Namatianus dicitur poeta in codice Vindobonensi, Numatianus in editione Bononiensi; videnda quae Zumptius dixit praef. pgg. XX, XXI.

I, 3 *quater* N. Heinsius, *quantum* v. — *non est idem, possum* C, *possem* E.

ib. 9 *demissa et tradita caelo*, ut apud Vergilium de Aenea *dis genite et geniture deos* et apud Manilium de Caesare *ille etiam caelo genitus caeloque receptus*.

ib. 18 *concilium* C, *connubium* mire E.

ib. 26 *favor* Heinsius, *labor* v.

ib. 29 *saeva* C, *longa* quod e v. 27 *irrepsit* E.

ib. 35 *lassati* Schraderus, *laxatis* v.

ib. 52 *sospes; hospes* Cuperus.

ib. 67 *auctores* C, *auctorem* v.

ib. 81 *perpetuo* — *motu* Baehrensianus, *perpetuos* — *motus* v.; *omnia* accusativum esse apparet.

ib. 84 *condomuere* de propria coniectura posui; et eadem circa hoc tempus voce usus Prudentius; *cum domuere* v.

ib. 91 *quod regnas minus est quam quod regnare mereris*. Illud *quod* accusativum esse scito; nam aliter debilis et indigna Rutilio sententia oritur.

ib. 100 *laudat* margo cod. Vind., Zumptius, *laudat* v.

ib. 104 *lotaque* scripsi; idem vitium in Tibulli III, 6, 3; *totaque*, quod e v. 102 huc illatum, v. Lucr. V, 950 *lubrica proluvie larga lavere umida saxa*. Idem II, 376, si fides Nonio, *litoris incurvi bibulam lavit* — *aequor harenam*.

ib. 135 *sexdecies*, in mg. *sedecies* C.

- ib. 144 *barbara praeda*, Ov. her. I, 26.  
 ib. 151 *ipse triumphali*, Tib. II, 5, 5.  
 ib. 152 *usibus*; ita C, *ossibus E*, *classibus v*.  
 ib. 175 *imitantia C*, quod correxi, cf. m. Rh. XXIII, 636; *imitatio v*.  
 ib. 188 *calet scripsi, cadit v.*; cf. quae dixi ad Prop. III, 16, 52.  
 ib. 205 *explorata v.*, corr. Schraderus.  
 ib. 206 *se daret Heinsius, fideret v*.  
 ib. 209 *arvis C, oris v*.  
 ib. 227 *hinc canens* addidi, minus recte Barthius *hinc exesum*; cf. d. r. m. 298.  
 ib. 231, 32; 229, 30. Disticha locum inter se permutare recte iussit Dammius.  
 ib. 233 *immutavit C*.  
 ib. 234 *incubo* Burmannus, nisi potius est Heinsii haec coniectura; *incola v*.  
 ib. 235 *saccula* ego, cf. v. 365; *semina* reliqui.  
 ib. 252 *lymphave* Barthius, *lymphaque v*.  
 ib. 259 *ora E*, cf. aen. I, 658; *arma C*.  
 ib. 265 *lymphas* Wernsdorfius, *nymphas v*.  
 ib. 266 *ut* addidit idem.  
 ib. 275 *poseat*; immo *ponat*. — *legem* Crusius et Schraderus, *selem v*.  
 ib. 279 *litus fugimus*, 280 *salo*, 292 *coniuratos*; ita C; v. f. l., *solo, coniuratas*.  
 ib. 308 *vindex* Heinsius.  
 ib. 312. Cf. d. r. m. 257.  
 ib. 313 *discussis* Almeloventius, *detersis* Heinsius, *decessis*, quod dicendi genus non convenit nisi auctoribus Sulla prioribus sive christianis v.  
 ib. 322 *terra* Baehrensium, *cura v*.  
 ib. 364. Cf. Tib. I, 3, 50 *nunc mare, nunc leti multa reperta viast*.  
 ib. 379 *intra* Schraderus, Wernsdorfius, Zumptius, *inter v*.  
 ib. 382 *crudior* scripsi, *dirior* Drakenborchius, *durior C E*.

- ib. 390 *sua; sua est* E.  
 ib. 396 *imperiiisque* C, *imperioque* v.  
 ib. 421 *dederis* ego, *Veneris* v.  
 ib. 428 *fruor* C, *fruar* E.  
 ib. 436 *quem perarasse* scripsi; cf. Ov. am. II, 10, 33, 34; trist. I, 2, 76; *quippe natasse* v.  
 ib. 447 *fatorum* C, *ex fato* v.  
 ib. 461 *viam* C, *algam* E. — *symplegade*, *symplegmate* Zumptius.  
 ib. 463 *ravidus* ego, *rapidus* v.; ita habes apud Claudianum in Fescenninis '*rabidi tacete Cori.*'  
 ib. 489 *concepto* Baehrensium; cf. 483; *conspecto* v.  
 ib. 504 *media* — *in urbe* scripsi, *medio* — *in orbe* v. Cf. 155—160. Frustra provocant ad illud Claudiani de IIII consulatu Honorii v. 270 *totius medio telluris in orbe*, ubi etiam scribendum *media* — *in urbe*.  
 ib. 516 *Cyrraicumque* C.  
 ib. 517 *aversor* vir doctus in observ. miscell. III, 368; *adversus* v.  
 ib. 521 *terrasque* C, *divosque* v.  
 ib. 522 *adit* Burmannus, *agit* C E. Est autem perfectum ut supra v. 234 *init.*  
 ib. 525 *non* Barthius, *num* v.  
 ib. 528 *late* scripsi; *latet* v.; omissum illud 'est' ut supra 389, 90. — ib. 535 *non nullus* C; *nonnullus* E.  
 ib. 539 *interligat* Castalio, *interrigat* v.  
 ib. 544 *speciem* C E. — *corde videre putet* Heinsius, cf. II, 18; *c. vidente petat* v.  
 ib. 555 *victores* Baehrensium, *rectores* v.  
 ib. 596 *Tibrigenas* scripsi, ut alibi *Tibricola*, *Niligena*. Barbare Dammius *Tyrrigenas*; nam in C legitur *terrigenas*, in E *turrigenas*. Firmatur autem coniectura nostra exemplo Vergiliano, quod haud dubie observatum est Rutilio [aen. II, 781, 2] *et terram Hesperiam venies, ubi Lylius arva inter opima virum leni fluit agmine Thybris.*  
 ib. 609 *discerpitur* C, E *decerpitur*; 615 *Trituritam* C; 628 *laxet* C.

ib. 630 *reportanti* Castalio, *reportando* C, *reportanda* E.

ib. 638 *Orioni* C. — ib. 643 *orbi* scripsi; *orbe* v. II, 12 *portu* C E; *e portu* Wernsdorfius.

ib. 42 *quod* C E.

ib. 56 *colos* C E.

## DE METRICA ARTE RUTILII.

Rutilii numeri tanta cum cura sunt perpoliti, ut inter praestantissimos Romanorum versificatores merito habeatur. Illud solum culparim quod versus eius paullo magis quam decet poetam elegiacum *σπονδειαζουσι*; nam et quinto hexametri loco bis habet spondeum et saepius primo eiusdem mensurae vocabulum disyllabum collocat.

Caesurarum praeter penthemimerin non habet nisi has

— — — | — — — | — — | — — — — —  
 — — — — — | — — — | — — — — —  
 — — — | — — — — — | — — — — —

Aeternum | tibi *Rhenus* aret | tibi Nilus inundet.

inde *Triturritam* petimus. | sic villa vocatur.

ante diu | quam *Troiugenas* | fortuna penates.

Ex his primum genus reperitur exemplis IX, alterum XVI, tertium VII. Ceterum numquam incisio in praepositiones sive coniunctiones incidit.

Iam quantum ad rythmos primum monendum, quod quater [I, 585. II, 33. I, 239. 637] ultimos duos heroici metri pedes tetrasyllabis sive pentasyllabis vocabulis continet; in elegiaci fine trisyllaba habes ter [I, 160. 328. 526], tetrasyllaba novies [I, 56. 82. 124. 382. 564. 572. 608. II, 22. 42], pentasyllaba bis [I, 306. 472] nec rarius heptasyllaba [I, 450. 628].

Nam et idem semel pentametrum binis vocabulis constare passus est [I, 450] ita:

Bellerophonteis sollicitudinibus;

qualem alibi in litteris latinis invenire me non memini. Videnda tamen quae diximus l. n. pgg. 459. 60.

Interpunctio post pentametrum gravior neglecta v. 520, sed parata venia; cf. d. r. m. 231, 2.

Quantum ad synhaeresis vel dihaeresis leges, nihil dignum memoria nisi quod Harpyias bis quaternis syllabis dixit Rutilius.

Idem plurimum observantiae in elisione parcae cauteque admittenda collocavit, quam fere intra primum choriambum hexametri pentametrive vel quartum pedem versus longioris consistere voluit. Itaque his solum locis praeter primam quidem arsin et extra caesuram vocales longas vel in m exeuntes elisit, nusquam tamen productas finales qualescumque sive dactylicas vel pyrrichiacas in m, o, a exeuntes sequente brevi. Iambicum vocabulum imminutum habes in antitheto et concurrentibus vocalibus isdem I, 328:

sive loci ingenio seu domini genio;

atque ita liquefacta longa finalis praecedente diphthongo in nomine proprio I, 615:

inde Triturritam Pisaea ex urbe reversus.

Elisio in altero pentametri hemistichio nulla.

Positionis lex quae dicitur ea, qua severissimi auctores artis usi, hoc est ne copularetur brevis vocalis in exitu metri posita nisi insequente muta cum liquida praeter gn, neve eadem umquam porrigeretur.

Productio caesurae vi effecta nulla.



# CLAVDII RVTILII NAMATIANI

· DE REDITV SVO

LIBER PRIMVS.

Desunt nonnulla.

Velocem potius reditum mirabere, lector,  
Tam cito Romuleis posse carere bonis.  
Quid longum toto Romam venerantibus aevo?  
Nil unquam longumst, quod sine fine placet.  
O quater et quotiens non est numerare beatos, 5  
Nasci felici qui meruere solo!  
Qui Romanorum procerum generosa propago  
Ingenitum cumulant urbis honore decus!  
Semina virtutum demissa et tradita caelo  
Non potuere aliis dignius esse locis. 10  
Felices etiam, qui proxima munera primis  
Sortiti Latias optinuere domos.  
Relligiosa patet peregrinae curia laudi;  
Nec putat externos, quos decet esse suos.  
Ordinis imperio collegarumque fruuntur 15  
Et partem Genii, quem venerantur, habent.  
Quale per aetheros mundani verticis axes  
Concilium summi credimus esse Dei.  
At mea dilectis fortuna revellitur oris,  
Indigenamque suum Gallica rura vocant. 20  
Illa quidem longis nimium deformia bellis,  
Sed quam grata minus, tam miseranda magis.

- Securos levius crimen contemnere cives:  
 Privatam repetunt publica damna fidem.
- 25 Praesentes lacrimas tectis debemus avitis:  
 Prodest admonitus saepe dolore favor.  
 Nec fas ulterius longas nescire ruinas,  
 Quas mora suspensae multiplicavit opis.  
 Iam tempus laceris post saeva incendia fundis
- 30 Vel pastorales aedificare casas.  
 Ipsi quin etiam fontes si mittere vocem,  
 Ipsaque si possent arbuta nostra loqui:  
 Cessantem iustis poterant urgere querelis,  
 Et desideriiis addere vela meis.
- 35 Iamiam lassati carae complexibus urbis  
 Vincimur, et serum vix toleramus iter.  
 Electum pelagus: quoniam terrena viarum  
 Plana madent fluviis, cautibus alta rigent.  
 Postquam Tuscus ager postquamque Aurelius agger
- 40 Perpressus Geticas ense vel igne manus  
 Non silvas domibus, non flumina ponte coerchet:  
 Incerto satius credere vela mari.  
 Crebra relinquendis infigimus oscula portis:  
 Inviti superant limina sacra pedes.
- 45 Oramus veniam lacrimis et laude litamus,  
 In quantum fletus currere verba sinit.  
 Exaudi, regina tui pulcherrima mundi,  
 Inter sidereos Roma recepta polos;  
 Exaudi, genetrix hominum, genetrixque deorum.
- 50 Non procul a caelo per tua templa sumus.  
 Te canimus semperque, sinent dum fata, canemus:  
 Sospes nemo potest immemor esse tui.  
 Obruerint citius scelerata oblivia solem,  
 Quam tuus ex nostro corde recedat honos.
- 55 Nam solis radiis aequalia munera tendis,  
 Qua circumfusus fluctuat Oceanus.  
 Volvitur ipse tibi, qui continet omnia, Phoebus,  
 Eque tuis ortos in tua condit equos.  
 Te non flammigeris Libye tardavit harenis,
- 60 Non armata suo reppulit Vrsa gelu:

Quantum vitales natura tetendit in axes,  
 Tantum virtuti pervia terra tuae.  
 Fecisti patriam diversis gentibus unam:  
 Profuit invitis, te dominante, capi.  
 Dumque offers victis proprii consortia iuris, 65  
 Urbem fecisti, quod prius Orbis erat.  
 Auctores generis Venerem Martemque fatemur,  
 Aeneadum matrem Romulidumque patrem:  
 Mitigat armatas victrix clementia vires;  
 Convenit in mores numen utrumque tuos. 70  
 Hinc tibi certandi bona parcendique voluptas:  
 Quos timuit, superat; quos superavit, amat.  
 Inventrix oleae colitur viniq̄ue repertor  
 Et qui primus humo pressit aratra puer  
 Aras Paeoniam meruit medicina per artem; 75  
 Factus et Alcides nobilitate deus:  
 Tu quoque, legiferis mundum complexa triumphis,  
 Foedere communi vivere cuncta facis.  
 Te, dea, te celebrat Romanus ubique recessus,  
 Pacificoque gerit libera colla iugo. 80  
 Omnia perpetuo quae servant sidera motu,  
 Nullum viderunt pulchrius imperium.  
 Quid simile Assyriis conectere contigit armis?  
 Medi finitimos condomuere suos:  
 Magni Parthorum reges Macetumque tyranni 85  
 Mutua per varias iura dedere vices.  
 Nec tibi nascenti plures animaeque manusque,  
 Sed plus consilii iudiciiue fuit.  
 Iustis bellorum causis nec pace superba  
 Nobilis ad summas gloria venit opes. 90  
 Quod regnas minus est quam quod regnare mereris:  
 Excedis factis grandia fata tuis.  
 Percensere labor densis decora alta tropaeis,  
 Vt siquis stellas pernumerare velit.  
 Confunduntque vagos delubra micantia visus: 95  
 Ipsos crediderim sic habitare deos.  
 Quid loquar aerio pendentes fornice rivos,  
 Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?

- Hos potius dicas crevisse in sidera montes:  
 100 Tale giganteum Graecia laudet opus.  
 Intercepta tuis conduntur flumina muris;  
 Consumunt totos celsa lavacra lacus.  
 Nec minus et propriis celebrantur roscida venis  
 Lotaque nativo moenia fonte sonant.
- 105 Frigidus aestivas hinc temperat halitus auras:  
 Innocuamque levat purior unda sitim.  
 Nempe tibi subitus calidarum gurges aquarum  
 Rupit Tarpeias hoste premente vias.  
 Si foret aeternus, casum fortasse putarem:  
 110 Auxilio fluxit, qui rediturus erat.  
 Quid loquar inclusas inter laquearia silvas,  
 Vernula qua vario carmine ludit avis?  
 Vere tuo numquam mulceri desinit annus;  
 Deliciasque tuas victa tuetur hiems.
- 115 Erige crinales lauros seniumque sacrati  
 Verticis in virides, Roma, refinge comas.  
 Aurea turrigero radient diademata cono,  
 Perpetuosque ignes aureus umbo vomat.  
 Abscondat tristem deleta iniuria casum:  
 120 Contemptus solidet vulnera clausa dolor.  
 Adversis solemne tuis sperare secunda.  
 Exemplo caeli ditia damna subis.  
 Astrorum flammae renovant occasibus ortus;  
 Lunam finiri cernis, ut incipiat.
- 125 Victoris Brenni non distulit Allia poenam:  
 Samnis servitio foedera saeva luit.  
 Post multas Pyrrhum clades superata fugasti;  
 Flevit successus Hannibal ipse suos.  
 Quae mergi nequeunt, nisu maiore resurgunt.  
 130 Exiliuntque imis altius acta vadis.  
 Vtque novas vires fax inclinata resumit,  
 Clarior ex humili sorte superna petis.  
 Porridge victuras Romana in saecula leges,  
 Solaque fatales non vereare colos,
- 135 Quamvis sedecies denis et mille peractis  
 Annus praeterea iam tibi nonus eat.

Quae restant, nullis obnoxia tempora metis;  
 Dum stabunt terrae, dum polus astra feret.  
 Illud te reparat, quod cetera regna resolvit:  
 Ordo renascendist, crescere posse malis. 140  
 Ergo age, sacrilegae tandem cadat hostia gentis:  
 Submittant trepidi perfida colla Getae.  
 Ditia pacatae dent vectigalia terrae:  
 Impleat augustos barbara praeda sinus.  
 Aeternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet: 145  
 Altricemque suam fertilis orbis alat.  
 Quin et fecundas tibi conferat Africa messes,  
 Sole suo dives, sed magis imbre tuo.  
 Interea et Latiis consurgant horrea sulcis,  
 Pinguiaque Hesperio nectare prela fluant. 150  
 Ipse triumphali redimitus arundine Tibris  
 Romuleis famulas usibus aptet aquas;  
 Atque opulenta tibi placidis commercia ripis  
 Devehat hinc ruris, subvehat inde maris.  
 Pande, precor, gemino placatum Castore pontum, 155  
 Temperet aequoream dux Cytherea viam;  
 Si non displicui, regerem cum iura Quirini,  
 Si colui sanctos consulique Patres.  
 Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum.  
 Non sit praefecti gloria, sed populi. 160  
 Sive datur patriis vitam componere terris,  
 Sive oculis unquam restituere meis:  
 Fortunatus agam votoque beatior omni,  
 Semper digneris si meminisse mei.  
 His dictis iter arripimus. Comitantur amici. 165  
 Dicere non possunt lumina sicca 'vale'.  
 Iamque aliis Romam redeuntibus haeret eunti  
 Rufius, Albini gloria viva patris;  
 Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen  
 Et reges Rutulos teste Marone refert. 170  
 Huius facundae commissa palatia linguae:  
 Primaevus meruit principis ore loqui.  
 Rexerat ante puer populos pro consule Poenos;  
 Aequalis Tyriis terror amorque fuit.

- 175 Sedula promisit summos instantia fasces.  
 Si fas est meritis fidere, consul erit.  
 Invitum tristis tandem remeare coegi:  
 Corpore divisos mens tamen una tenet.  
 Tum demum ad naves gradior, qua fronte bicorni  
 180 Dividuus Tiberis dexteriora secat.  
 Laevus inaccessis fluvius vitatur arenis;  
 Hospitis Aeneae gloria sola manet.  
 Et iam nocturnis spatium laxaverat horis  
 Phoebus Chelarum pallidiore polo.  
 185 Cunctamur temptare salum portuque sedemus,  
 Nec piget oppositis otia ferre moris,  
 Occidua infido dum saevit gurgite Plias,  
 Dumque procellosi temporis ira calet.  
 Respectare iuvat vicinam saepius urbem,  
 190 Et montes visu deficiente sequi;  
 Quaque duces oculi grata regione fruuntur,  
 Dum se, quod cupiunt, cernere posse putant.  
 Nec locus ille mihi cognoscitur indice fumo,  
 Qui dominas arces et caput orbis habet;  
 195 Quamquam signa levis fumi commendat Homerus,  
 Dilecto quotiens surgit in astra solo:  
 Sed caeli plaga candidior tractusque serenus  
 Signat septenis culmina clara iugis.  
 Illic perpetui soles, atque ipse videtur  
 200 Quem sibi Roma facit purior esse dies.  
 Saepius attonitae resonant Circensibus aures;  
 Nuntiat accensus plena theatra favor.  
 Pulsato notae redduntur ab aethere voces,  
 Vel quia perveniunt, vel quia fingit amor.  
 205 Expectata fides pelagi ter quinque diebus,  
 Dum melior lunae se daret aura novae.  
 Tum discessurus studiis urbiq̄ue remitto  
 Palladium, generis spemque decusque mei.  
 Facundus iuvenis Gallorum nuper ab arvis  
 210 Missus, Romani discere iura fori.  
 Ille meae secum dulcissima vincula curae,  
 Filius affectu, stirpe propinquus, habet:

Cuius Aremoricas pater Exuperantius oras  
 Nunc postliminium pacis amare docet;  
 Leges restituit libertatemque reducit 215  
 Et servos famulis non sinit esse suis.  
 Solvimus aurorae dubio, quo tempore primum  
 Agnosci patitur redditus arva color.  
 Progredimur parvis per littora proxima cymbis;  
 Quarum perfugio crebra pateret humus. 220  
 Aestivos penetrent oneraria carbasa fluctus:  
 Tutior autumnus mobilitate fugae.  
 Alsia praelegitur tellus, Pyrgique recedunt;  
 Nunc villae grandes, oppida parva prius.  
 Iam Caeretanos demonstrat navita fines: 225  
 Aevo deposuit nomen Agylla vetus.  
 Stringimus *hinc canens* et fluctu et tempore Castrum:  
 Index semiruti porta vetusta loci.  
 Praesidet exigui formatus imagine saxi,  
 Qui pastorali cornua fronte gerit: 230  
 Multa licet priscum nomen deleverit aetas,  
 Hoc Inui castrum fama fuisse putat.  
 Seu Pan Tyrrhenis mutavit Maenala silvis,  
 Sive sinus patrios incubo Faunus init.  
 Dum renovat largo mortalia saecula fetu, 235  
 Fingitur in venerem pronior esse deus.  
 Ad Centumcellas forti defleximus austro:  
 Tranquilla puppes in statione sedent.  
 Molibus aequoreum concluditur amphitheatrum,  
 Angustosque aditus insula facta tegit; 240  
 Attollit geminas turres bifidoque meatu  
 Faucibus artatis pandit utrumque latus.  
 Nec posuisse satis laxo navalia portu,  
 Ne vaga vel tutas ventilet aura rates:  
 Interior medias sinus invitatus in aedes 245  
 Instabilem fixis aera nescit aquis;  
 Qualis in Euboicis captiva natatibus unda  
 Sustinet alterno brachia lenta sinu.  
 Nosse iuvat tauri dictas de nomine thermas.  
 Nec mora difficilis milibus ire tribus. 250

- Non illic gustu latices vitiantur amaro,  
 Lymphave fumifico sulphure tincta calet:  
 Purus odor mollisque sapor dubitare lavantem  
 Cogit, qua melius parte petantur aquae.  
 255 Credere si dignum famae, flagrantia taurus  
 Investigato fonte lavacra dedit,  
 Ut solet excussis pugnam praeludere glebis,  
 Stipite cum rigido cornua prona terit:  
 Sive deus, faciem mentitus et ora iuveni,  
 260 Noluit ardentis dona latere soli;  
 Qualis Agenorei rapturus gaudia furti  
 Per freta virgineum sollicitavit onus.  
 Ardua non solos deceant miracula Graios.  
 Auctorem pecudem fons Heliconis habet:  
 265 Elicitas simili credamus origine lymphas,  
 Musarum ut latices ungula fodit equi.  
 Haec quoque Pieriis spiracula comparat antris  
 Carmine Messallae nobilitatus ager;  
 Intransemque capit discedentemque moratur  
 270 Postibus adfixum dulce poema sacris.  
 Hic est, qui primo seriem de Consule ducit,  
 Vsq̄ue ad Publicolas si redeamus avos:  
 Hic et praefecti nutu praetoria rexit.  
 Sed menti et linguae gloria maior inest.  
 275 Hic docuit, qualem ponat facundia legem.  
 Ut bonus esse velit quisque, disertus erit.  
 Roscida puniceo fulsere crepuscula caelo:  
 Pandimus obliquo lintea flexa sinu.  
 Paulisper litus fugimus Munione vadosum:  
 280 Suspecto trepidant ostia parva salo.  
 Inde Graviscarum fastigia rara videmus,  
 Quas premit aestivae saepe paludis odor:  
 Sed nemorosa viret densis vicinia lucis,  
 Pineaque extremis fluctuat umbra fretis.  
 285 Cernimus antiquas nullo custode ruinas  
 Et desolatae moenia foeda Cosae.  
 Ridiculam cladis pudet inter seria causam  
 Promere: sed risum dissimulare piget.



- Dicuntur cives quondam migrare coacti  
 Muribus infestos deseruisse lares. 290  
 Credere maluerim Pygmaeae damna cohortis  
 Et coniuratos in sua bella grues.  
 Haud procul hinc petitur signatus ab Hercule portus.  
 Vergentem sequitur mollior aura diem.  
 Inter castrorum vestigia sermo retexit 295  
 Sardoam Lepido praecipitante fugam.  
 Littore namque Cosae cognatos depulit hostes  
 Virtutem Catuli Roma secuta ducis.  
 Ille tamen Lepidus peior, civilibus armis  
 Qui gessit sociis impia bella tribus: 300  
 Qui libertatem Mutinensi Marte receptam  
 Obruit auxiliis, urbe pavente, novis.  
 Insidias paci moliri tertius ausus,  
 Tristibus excepit congrua fata reis.  
 Quartus, Caesareo dum vult inrepere regno, 305  
 Incesti poenam solvit adulterii.  
 Nunc quoque — sed melius de nostris fama queretur:  
 Iudex posteritas semina dira notet.  
 Nominibus certos credam decurrere mores?  
 Moribus an potius nomina certa dari? 310  
 Quidquid id est, mirus Latiis annalibus ordo,  
 Quod Lepidum toties reccidit ense malum.  
 Nec dum discussis pelago permittimur umbris.  
 Natus vicino vertice ventus adest.  
 Tenditur in medias mons Argentarius undas 315  
 Ancipitique iugo caerula curva premit.  
 Transversos colles bis ternis milibus artat;  
 Circuitu ponti ter duodena patet:  
 Qualis per geminos fluctus Ephyreius Isthmos  
 Ionias bimari littore findit aquas. 320  
 Vix circumvehimur sparsae dispendia rupis;  
 Nec sinuosa gravi terra labore caret:  
 Mutantur toties vario spiramina flexu.  
 Quae modo profuerant vela, repente nocent.  
 Eminus Igilii silvosa cacumina miror: 325  
 Quam fraudare nefas laudis honore suae.

- Haec proprios nuper tutatast insula saltus  
 Sive loci ingenio seu domini genio;  
 Gurgite cum modico victricibus obstitit armis,  
 330 Tamquam longinquo dissociata mari:  
 Haec multos lacera suscepit ab urbe fugatos;  
 Hic fessis posito certa timore salus.  
 Plurima terreno populaverat aequora bello  
 Contra naturam classe timendus eques.  
 335 Vnum mira fides vario discrimine portum  
 Tam prope Romanis, tam procul esse Getis.  
 Tangimus Vmbronem: non est ignobile flumen;  
 Quod tuto trepidas excipit ore rates:  
 Tam facilis pronis semper patet alveus undis,  
 340 In pontum quoties saeva procella ruit.  
 Hic ego tranquillae volui succedere ripae:  
 Sed nautas, avidos longius ire, sequor.  
 Sic festinantem ventusque diesque relinquit;  
 Nec proferre pedem nec revocare licet.  
 345 Littorea noctis requiem metamur arena:  
 Dat vespertinos myrtea silva focos:  
 Parvula subiectis facimus tentoria remis;  
 Transversus subito culmine contus erat.  
 Lux aderat: tonsis progressi stare videmur:  
 350 Sed cursum prorae terra relicta probat.  
 Occurrit chalybum memorabilis Ilva metallis,  
 Qua nil uberius Norica gleba tulit;  
 Non Biturix largo potior strictura camino,  
 Nec quae Sardónico cespite massa fluit.  
 355 Plus confert populis ferri fecunda creatrix  
 Quam Tartessiaci glareas fulva Tagi.  
 Materies vitiis aurum letale parandis:  
 Auri caecus amor ducit in omne nefas:  
 Aurea legitimas expugnant munera taedas,  
 360 Virgineosque sinus aureus imber emit:  
 Auro victa fides munitas decipit urbes:  
 Auri flagitiis ambitus ipse furit.  
 At contra ferro squallentia rura coluntur,  
 Ferro vivendi prima reperta viast.

- Saecula semideum, ferrati nescia Martis, 365  
 Ferro crudeles sustinuere feras.  
 Humanis manibus non sufficit usus inermis,  
 Si non sint aliae ferrea tela manus.  
 His mecum pigri solabar taedia venti:  
 Dum resonat variis vile celeuma modis. 370  
 Lassatum cohibet vicina Faleria cursum,  
 Quamquam vix medium Phoebus haberet iter.  
 Et tum forte hilares per compita rustica pagi  
 Mulcebant sacris pectora fessa iocis:  
 Illo quippe die tandem renovatus Osiris 375  
 Excitat in fruges germina laeta novas.  
 Egressi villam petimus lucoque vagamur;  
 Stagna placent saepto deliciosa vado.  
 Ludere lascivos intra vivaria pisces  
 Gurgitis inclusi laxior unda sinit. 380  
 Sed male pensavit requiem stationis amoenae  
 Hospite conductor crudior Antiphate.  
 Namque loci querulus curam Iudaeus agebat,  
 Humanis animal dissociate cibis.  
 Vexatos frutices, pulsatas imputat algas, 385  
 -Damnaque libatae grandia clamat aquae.  
 Reddimus obscaenae convicia debita genti,  
 Quae genitale caput propudiosa metit:  
 Radix stultitiae: cui frigida sabbata cordi,  
 Sed cor frigidius religione sua. 390  
 Septima quaeque dies turpi damnata veterno,  
 Tamquam lassati mollis imago Dei.  
 Caetera mendacis deliramenta catastae  
 Nec pueros omnes credere posse reor.  
 Atque utinam numquam Iudaea subacta fuisset 395  
 Pompeii bellis imperiisque Titi!  
 Latius excisae pestis contagia serpunt,  
 Victoresque suos natio victa premit.  
 Adversus surgit Boreas: sed nos quoque remis  
 Surgere certamus, dum tegit astra dies. 400  
 Proxima securum reserat Populonia litus,  
 Qua naturalem ducit in arva sinum.

- Non illic positas extollit in aethera moles  
 Lumine nocturno conspicienda Pharos:  
 405 Sed speculam validae rupis sortita vetustas,  
 Qua fluctus domitos arduus urget apex,  
 Castellum geminos hominum fundavit in usus.  
 Praesidium terris indiciumque fretis.  
 Agnosci nequeunt aevi monumenta prioris:  
 410 Grandia consumpsit moenia tempus edax.  
 Sola manent interceptis vestigia muris:  
 Ruderibus latis tecta sepulta iacent.  
 Non indignemur mortalia corpora solvi.  
 Cernimus exemplis oppida posse mori.  
 415 Laetior hic nostras crebrescit fama per aures:  
 Consilium Romam paene redire fuit.  
 Hic praefecturam sacrae cognoscimus urbis  
 Delatam meritis, dulcis amice, tuis.  
 Optarem verum complecti carmine nomen,  
 420 Sed quosdam refugit regula dura pedes.  
 Cognomen versu dederis, carissime Rufi:  
 Illo te dudum pagina nostra canit.  
 Festa dies pridemque meos dignata penates  
 Poste coronato vota secunda colat:  
 425 Exorment virides communia gaudia rami:  
 Provectast animae portio magna meae.  
 Sic mihi, sic potius placeat geminata potestas:  
 Per quem malueram, rursus honore fruor.  
 Currere curamus velis aquilone reverso,  
 430 Cum primum roseo fulsit Eous equo.  
 Incipit obscuros ostendere Corsica montes,  
 Nubiferumque caput concolor umbra levat.  
 Sic dubitanda solet gracili vanescere cornu  
 Defessisque oculis Luna reperta latet.  
 435 Haec ponti brevitatis auxilium mendacia famae:  
 Armentale ferunt quem perarasse pecus,  
 Tempore Cyrnaeas quo primum venit in oras  
 Forte secuta vagum femina Corsa bovem.  
 Processu pelagi iam se Capraria tollit.  
 440 Squallet lucifugis insula plena viris.

Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt,  
 Quod soli nullo vivere teste volunt.  
 Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur.  
 Quisquam sponte miser, ne miser esse queat?  
 Quænam perversi rabies tam stulta cerebri, 445  
 Dum mala formides, nec bona posse pati?  
 Sive suas repetunt factorum ergastula poenas,  
 Tristia seu nigro viscera felle tument.  
 Sic nimiae bilis morbum assignavit Homerus  
 Bellerophonteis sollicitudinibus: 450  
 Nam iuveni offenso saevi post tela doloris  
 Dieitur humanum displicuisse genus.  
 In Volaterranum, vero Vada nomine, tractum  
 Ingressus dubii tramitis alta lego.  
 Despectat proræ custos clavumque sequentem 455  
 Dirigit et puppim voce monente regit.  
 Incertas gemina discriminat arbore fauces  
 Defixasque offert limes uterque sudes:  
 Illis proceras mos est adnectere lauros  
 Conspicuas ramis et fruticante coma, 160  
 Vt præbente viam densi symplegade limi  
 Servet inoffensas semita clara notas.  
 Illic me rabidus consistere Corus adegit,  
 Qualis silvarum frangere lustra solet.  
 Vix tuti domibus saevos toleravimus imbres. 465  
 Albi patuit proxima villa mei.  
 Namque meus, quem Roma meo subiunxit honori,  
 Per quem iura meae continuata togæ.  
 Non expectatos pensavit laudibus annos;  
 Vitæ flore puer, sed gravitate senex. 470  
 Mutua germanos iunxit reverentia mores,  
 Et favor alternis crevit amicitiiis.  
 Praetulit ille meas, cum vincere posset, habenas:  
 At decessoris maior amore fuit.  
 Subiectas villæ vacat aspectare salinas: 475  
 Namque hoc censetur nomine salsa palus,  
 Qua mare terrenis declive canalibus intrat,  
 Multifidosque lacus parvula fossa rigat.

- Ast ubi flagrantes admovit Sirius ignes,  
 480 Cum pallent herbae, cum sitit omnis ager:  
 Tum cataractarum claustris excluditur aequor,  
 Vt fixos latices torrida duret humus.  
 Concipiunt acrem nativa coagula Phoebum,  
 Et gravis aestivo crusta calore coit;  
 485 Haud aliter quam cum glacie riget horridus Hister  
 Grandiaque adstricto flumine plaustra vehit.  
 Rimetur solitus naturae expendere causas,  
 Inque pari dispar fomite quaerat opus:  
 Vincita fluenta gelu concepto sole liquescunt,  
 490 Et rursus liquidae sole gelantur aquae.  
 O, quam saepe malis generatur origo bonorum!  
 Tempestas dulcem fecit amara moram:  
 Victorinus enim, nostrae pars maxima mentis,  
 Congressu explevit mutua vota suo.  
 495 Errantem Tuscis considerare compulit agris  
 Et colere externos capta Tolosa lares.  
 Nec tantum duris nituit sapientia rebus:  
 Pectore non alio prosperiora tulit.  
 Conscius Oceanus virtutum, conscia Thyle,  
 500 Et quaecumque ferox arva Britannus arat:  
 Qua praefectorum vicibus frenata potestas  
 Perpetuum magni faenus amoris habet.  
 Extremum pars illa quidem discessit in orbem,  
 Sed tanquam media rector in urbe fuit.  
 505 Plus palmaest illos inter voluisse placere,  
 Inter quos minor est displicuisse pudor.  
 Illustris nuper sacrae comes additus aulae  
 Contempsit summos ruris amore gradus.  
 Hunc ego complexus ventorum adversa fefelli,  
 510 Dum videor patriae iam mihi parte frui.  
 Lutea protulerat sudos aurora iugales:  
 Antennas tendi littoris aura iubet.  
 Inconcussa vehit tranquillus aplustria flatus,  
 Mollia securo vela rudente tremunt.  
 515 Adsurgit ponti medio circumflua Gorgon  
 Inter Pisanum Cyrnaicumque latus.

Aversor scopulos, damni monumenta recentis:  
 Perditus hic vivo funere civis erat.  
 Noster enim nuper iuvenis maioribus amplis,  
 Nec censu inferior coniugiove minor, 520  
 Impulsus furiis, homines terrasque reliquit,  
 Et turpem latebram credulus exul adit.  
 Infelix putat illuvie caelestia pasci,  
 Seque premit laesis saevior ipse deis.  
 Non, rogo, deterior Circeis secta venenis? 525  
 Tunc mutabantur corpora, nunc animi.  
 Inde Triturritam petimus: sic villa vocatur,  
 Quae late expulsis insula paene fretis.  
 Namque manu iunctis procedit in aequora saxi,  
 Quique domum posuit, condidit ante solum. 530  
 Contiguum stupui portum, quem fama frequentat  
 Pisarum emporio divitiisque maris.  
 Mira loci facies. Pelago pulsantur aperto  
 Inque omnes ventos litora nuda patent:  
 Non ullus tegitur per brachia tuta recessus, 535  
 Aeolias possit qui prohibere minas:  
 Sed procera suo praetexitur alga profundo,  
 Molliter offensae non nocitura rati;  
 Et tamen insanas cedendo interligat undas,  
 Nec sinit ex alto grande volumen agi. 540  
 Tempora navigii clarus reparaverat Eurus:  
 Sed mihi Protadium visere cura fuit;  
 Quem qui forte velit certis cognoscere signis,  
 Virtutis specimen corde videre putet:  
 Nec magis efficiet similem pictura colore, 545  
 Quam quae de meritis mixta figura venit.  
 Aspicienda procul certo prudentia vultu,  
 Formaue iustitiae suspicienda micat.  
 Sit fortasse minus, si laudet Gallia civem:  
 Testis Roma sui praesulis esse potest. 550  
 Substituit patriis mediocres Umbria sedes:  
 Virtus fortunam fecit utramque parem.  
 Mens invicta viri pro magnis parva tuetur,  
 Pro parvis animo magna fuere suo.

- 555 Exiguus regum victores cespes habebat.  
 Et Cincinnatos iugera pauca dabant.  
 Haec etiam nobis non inferiora feruntur  
 Vomere Serrani Fabriciique foco.  
 Puppibus ergo meis fida in statione locatis
- 560 Ipse vehor Pisas qua solet ire pedes.  
 Praebet equos, offert etiam carpenta tribunus,  
 Ex commilitio carus et ipse mihi,  
 Officiis regerem cum regia tecta magister,  
 Armigerasque pii principis excubias.
- 565 Alpheae veterem contemplor originis urbem,  
 Quam cingunt geminis Arnus et Ausur aquis:  
 Conum pyramidis coeuntia flumina ducunt:  
 Intratur modico frons patefacta solo:  
 Sed proprium retinet communi in gurgite nomen.
- 570 Et pontum solus scilicet Arnus adit.  
 Ante diu, quam Troiugenas fortuna penates  
 Laurentinorum regibus insereret,  
 Elide deductas suscepit Etruria Pisas;  
 Nominis indicio testificata genus.
- 575 Hic oblata mihi sancti genitoris imago.  
 Pisani proprio quam posuere foro.  
 Laudibus amissi cogor lacrimare parentis:  
 Fluxerunt madidis gaudia maesta genis.  
 Namque pater quondam Tyrrhenis praefuit arvis,
- 580 Fascibus et senis credita iura dedit.  
 Narrabat, memini, multos emensus honores  
 Tuscorum regimen plus placuisse sibi:  
 Nam neque opum curam, quamvis sit magna,  
 sacrarum  
 Nec ius quaesturae grata fuisse magis:
- 585 Ipsam, si fas est, postponere praefecturam  
 Pronior in Tuscos non dubitabat amor.  
 Nec fallebatur, tam carus et ipse probatis:  
 Aeternas grates mutua cura canit;  
 Constantemque sibi pariter mitemque fuisse,
- 590 Insinuant natis qui meminere senes.  
 Ipsum me gradibus non degenerasse parentis



Gaudent, et duplici sedulitate foveant.  
 Haec eadem, cum Flaminiae regionibus irem,  
 Splendoris patrii saepe reperta fides:  
 Famam Lachanii veneratur numinis instar 595  
 Inter Tybrigenas Lydia tota suos.  
 Grata bonis priscos retinet provincia mores  
 Dignaque rectores semper habere bonos,  
 Qualis nunc Decius, Lucilli nobile pignus,  
 Per Coryti populos arva beata regit. 600  
 Nec mirum, magni si redditus indole nati  
 Felix tam simili posteritate pater.  
 Huius vulnificis satira ludente Camenis  
 Nec Turnus potior nec Iuvenalis erit.  
 Restituit veterem censoria lima pudorem: 605  
 Dumque malos carpit, praecipit esse bonos.  
 Non olim sacri iustissimus arbiter auri  
 Circumsistentes reppulit harpyias?  
 Harpyias, quarum discerpitur unguibus orbis,  
 Quae pede glutineo quod tetigere trahunt: 610  
 Quae luscum faciunt Argum, quae Lyncea caecum:  
 Inter custodum publica furta volant.  
 Sed non Lucillum Briareia praeda fefellit,  
 Totque simul manibus restitit una manus.  
 Iamque Triturritam Pisaea ex urbe reversus, 615  
 Aptabam nitido pendula vela Noto:  
 Cum subitis tectus nimbis insorduit aether;  
 Sparserunt radios nubila rupta vagos.  
 Substitimus. Quis enim sub tempestate maligna  
 Insanituris audeat ire fretis? 620  
 Otia vicinis terimus navalia silvis,  
 Sectandisque iuvat membra movere feris.  
 Instrumenta parat venandi vilicus hospes  
 Atque olidum doctas nosse cubile canes.  
 Funditur insidiis et rara fraude plagarum 625  
 Terribilisque cadit fulmine dentis aper,  
 Quem Meleagrei vereantur adire lacerti,  
 Qui laxet nodos Amphitryoniadae.  
 Tum responsuros persultat bucina montes,

- 630 Fitque reportanti carmine praeda levis.  
 Interea madidis non desinit Africus alis  
 Continuos picea nube negare dies.  
 Iam matutinis Hyades occasibus udae:  
 Iam latet hiberno conditus imbre Lepus,  
 635 Exiguum radiis, sed magnis fluctibus, astrum,  
 Quo madidam nullus navita linquit humum.  
 Namque procelloso subiungitur Oarioni  
 Aestiferumque Canem roscida praeda fugit.  
 Vidimus excitis pontum flavescere arenis  
 640 Atque eructato vertice rura tegi:  
 Qualiter Oceanus mediis infunditur agris,  
 Destituenda vago cum premit arva salo;  
 Sive alio refluxus nostro conliditur orbi,  
 Sive corusca suis sidera pascit aquis.

---

## LIBER SECVNDVS.

---

- Nondum longus erat nec multa volumina passus,  
 Iure suo poterat longior esse liber:  
 Taedia continuo timuit censura labori,  
 Sumere ne lector iuge paveret opus.  
 5 Saepe cibus adfert serus fastidia finis:  
 Grator est modicis haustibus unda siti.  
 Intervalla viae fessis praestare videtur  
 Qui notat inscriptus milia crebra lapis.  
 Partimur trepidum per opuscula bina ruborem,  
 10 Quem satius fuerat sustinuisse semel.  
 Tandem nimbose maris obsidione solutis  
 Pisano portu contigit alta sequi.  
 Arridet placidum radiis crispantibus aequor,  
 Et sulcata levi murmurat unda sono.

Incipiunt Appennini devexa videri, 15  
 Qua fremit aërio monte repulsa Thetis.  
 Italiam rerum dominam qui cingere visu  
 Et totam pariter cernere mente velit,  
 Inveniet quernae similem procedere frondi,  
 Artatam laterum conveniente sinu. 20  
 Milia per longum decies centena teruntur  
 A Ligurum terris ad freta Sicaniae:  
 In latum variis damnosa amfractibus intrat  
 Tyrrheni rabies Adriacique sali.  
 Qua tamen est iuncti maris angustissima tellus, 25  
 Triginta et centum milia sola patet.  
 Diversas medius mons obliquatur in undas,  
 Qua fert atque refert Phoebus uterque diem:  
 Urget Dalmaticos Eoo vertice fluctus,  
 Caerulaque occiduis frangit Etrusca iugis. 30  
 Si factum certa mundum ratione fatemur,  
 Consiliumque dei machina tanta fuit;  
 Excubiis Latii praetexit Appenninum  
 Claustraque montanis vix adeunda viis.  
 Invidiam timuit natura parumque putavit 35  
 Arctois Alpes opposuisse minis:  
 Sicut vallavit multis vitalia membris,  
 Nec semel inclusit, quae pretiosa tulit.  
 Iam tum multiplici meruit munimine cingi  
 Sollicitosque habuit Roma futura Deos. 40  
 Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum,  
 Proditor arcani qui fuit imperii.  
 Romano generi dum nititur esse superstes,  
 Crudelis summis miscuit ima furor:  
 Dumque timet, quidquid se fecerat ipse timeri, 45  
 Immisit Latiae barbara tela neci.  
 Visceribus nudis armatum condidit hostem,  
 Illatae cladis liberiore dolo.  
 Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat,  
 Et captiva prius, quam caperetur, erat. 50  
 Nec tantum Geticis grassatus proditor armis:  
 Ante Sibyllinae fata cremavit opis.

Odinus Althaeam consumpti funere torris:  
Nisaeum crinem flere putantur aves.  
55 At Stilicho aeterni fatalia pignora regni  
Et plenas voluit praecipitare colos.  
Omnia Tartarei cessent tormenta Neronis,  
Consumat Stygias tristior umbra faces.  
Hic immortalem, mortalem perculit ille;  
60 Hic mundi matrem perculit, ille suam.  
Sed deverticulo fuimus fortasse loquaces:  
Carmine propositum iam repetamus iter.  
Advehimur celeri candentia moenia lapsu:  
Nominis est auctor sole corusca soror.  
65 Indigenis superat ridentia lilia saxis,  
Et levi radiat picta nitore silex.  
Dives marmoribus tellus, quae luce coloris  
Provocat intactas luxuriosa nives.

Reliqua desunt.

---

## I. INDEX CARMINVM.

Nondum longus erat II, 1.  
Velocem potius reditum I, 1.

---

## II. INDEX NOMINVM.

- Aeneadae I, 68.  
Aeneas I, 182.  
Aeolius I, 536.  
Africa I, 147.  
Africus I, 631.  
Agenoreus I, 261.  
Agylla I, 226.  
Albinus I, 168. 466.  
Alcides I, 76.  
Allia I, 125.  
Alpes II, 36.  
Alsius I, 223.  
Althaea II, 53.  
Amphitryoniades I, 628.  
Antiphates I, 382.  
Appenninus II, 15. 33.  
Aquila I, 429.  
Arctous II, 36.  
Aremoricus I, 213.  
Argentarius mons I, 315.  
Argus I, 611.  
Arnus I, 566. 570.  
Assyrinus adi. I, 83.  
Aurelius adi. I, 39.  
Ausur I, 566.  
Bellerophonteus I, 450.  
Biturix adi. I, 353.  
Boreas I, 399.  
Brennus I, 125.  
Briareus I, 613.  
Britannus I, 500.  
Caeretanus I, 225.  
Caesareus I, 305.  
Camena I, 603.  
Capraria I, 439.  
Castor I, 155.  
Castrum I, 227.  
Catulus I, 298.  
Centumcellae I, 237.  
Chalybs I, 351.  
Chelae I, 184.  
Cincinnatus I, 556.  
Circaeus I, 525.  
Circenses I, 201.  
Corsica I, 431.  
Corsus adi. I, 438.  
Corus I, 463.  
Corythus I, 600.  
Cosa I, 286. 297.  
Cyrnaeus I, 437.  
Cyrnaicus I, 516.  
Cytherea I, 156.  
Dalmaticus II, 29.  
Decius I, 599.  
Elis I, 573.  
Eous subst. et adi. I, 430. II, 29.  
Ephyreus I, 319.  
Etruria I, 573.  
Etruscus II, 30.  
Euboicus I, 247.  
Exuperantius I, 213.  
Fabricius I, 558.

- Faleria I, 371.  
 Faunus I, 234.  
 Flaminia I, 593.  
 Gallia I, 549.  
 Gallicus I, 20.  
 Gallus I, 209.  
 Getae I, 142. 336.  
 Geticus I, 40. II, 51.  
 Gorgon I, 515.  
 Graecia I, 100.  
 Graius subst. et adi. I, 263.  
     441.  
 Graviscae I, 281.  
 Hadriacus II, 24.  
 Hannibal I, 128.  
 Harpyia I, 608. 609.  
 Helicon I, 264.  
 Hercules I, 293.  
 Hesperius I, 150.  
 Hister I, 485.  
 Homerus I, 195. 449.  
 Hyades I, 633.  
 Igilius I, 325.  
 Ilva I, 351.  
 Inuus I, 232.  
 Ionius I, 320.  
 Iris I, 98.  
 Isthmos I, 319.  
 Italia II, 17.  
 Iudaea I, 395.  
 Iudaeus I, 383.  
 Iuvenalis I, 604.  
 Lachanius I, 595.  
 Latus I, 12. 149. 311. II, 33.  
     46.  
 Laurentinus I, 570.  
 Lepidus subst. et adi. I, 296.  
     299. 312.  
 Lepus I, 634.  
 Libye I, 59.  
 Ligur II, 22.  
 Lucillus I, 599. 613.  
 Lydia I, 596.  
 Lynceus I, 611.  
 Macetes I, 85.  
 Maenala I, 233.  
 Maro I, 170.  
 Mars I, 67. 301. 365.  
 Medus I, 84.  
 Meleagreus I, 627.  
 Messalla I, 268.  
 Munio I, 279.  
 Musa I, 266.  
 Mutinensis 301.  
 Nero II, 57.  
 Nilus I, 145.  
 Niseus II, 54.  
 Noricus I, 352.  
 Oarion I, 637.  
 Oceanus I, 56. 499. 641.  
 Osiris I, 375.  
 Paeonius I, 74.  
 Palladius I, 208.  
 Pan I, 233.  
 Parthus I, 85.  
 Phoebus I, 57. 184. 372. 483.  
     II, 28.  
 Pierius I, 267.  
 Pisae I, 532. 560. 573.  
 Pisanus subst. et adi. I, 516.  
     576. II, 12.  
 Plias I, 187.  
 Poenus I, 173.  
 Pompeius I, 396.  
 Populonia I, 401.  
 Protadius I, 542.  
 Publicola I, 272.  
 Pygmaeus adi. I, 291.  
 Pyrgi I, 223.  
 Pyrrhus I, 127.  
 Quirinus I, 157.  
 Rhenus I, 145.  
 Roma I, 3. 48. 116. 167. 200.  
     298. 416. 467. 550. II, 40. 49.  
 Romanus subst. et adi. I, 7.  
     79. 133. 210. 336.  
 Romuleus I, 2. 152.  
 Romulides I, 68.  
 Rufius I, 168. 421.  
 Rutulus adi. I, 170.  
 Samnis I, 126.  
 Sardonicus I, 354.  
 Sardous I, 296.  
 Serranus I, 558.  
 Sicania II, 22.  
 Sibyllinus II, 52.

- Sirius I, 479.  
 Stilicho II, 41. 55.  
 Stygius II, 58.  
 Tagus I, 356.  
 Tarpeius I, 108.  
 Tartareus II, 57.  
 Tartessiacus I, 356.  
 Thermae I, 249.  
 Thetis II, 16.  
 Thyle I, 499.  
 Tiberis I, 180.  
 Titus I, 396.  
 Tolosa I, 496.  
 Triturrita I, 527. 615.  
 Troiugena I, 571.  
 Turnus I, 604.  
 Tuscus subst. et adi. I, 39. 495.  
 582. 586.  
 Tybrigena I, 596.  
 Tybris I, 151.  
 Tyrius I, 174.  
 Tyrrhenus I, 233. 579. II, 24.  
 Vada I, 453.  
 Venus I, 67. 236.  
 Victorinus I, 493.  
 Vmbria I, 551.  
 Vmbro I, 337.  
 Volaterranus I, 453.  
 Volusus I, 169.  
 Vrsa I, 60.

---

### III. INDEX GRAMMATICVS.

- ast(in formula 'ast ubi') I, 479.  
 ego  
 mihi non mi.  
 Falēria I, 371.  
 Harpŷīae I, 608. 9.  
 Lāchanius? I, 595.  
 Paeōnius I, 75.  
 populo I, 333.  
 prōpago subst. I, 7.  
 prōpudiosus I, 388.  
 reccidit I, 312.  
 relligio I, 390.  
 relligiosus I, 13. 390.  
 -u dativus? I, 421.  
 -um pro -arum vel -orum  
 Aeneadum, Romulidum I, 68.  
 Macetum ib. 85. semideum  
 ib. 365.
-

## DE POETIS SAECVLI V. C. X.

Hadriani a tempore cum ipsius principis auctoritate rursus coalita esset imitatio scriptorum antiquissimorum, quamquam suus semper mansit honos Vergilio, tamen priorum aetate poetarum magis observarunt exempla Frontoni aequales. E quibus maxime fama percrebuere praeter ipsum Hadrianum P. Annius Florus, amicus eius, et paullo posteriores aetate Annianus Faliscus, Iulius Paullus, L. Appuleius. Vnde nonnulli Plauti Terentiique senarios iambicos et trochaicos septenarios propriis carminibus restauravere. Sed plures multo Laevii Varronisque et aequalium hisce metrorum numerositatem approbaverunt. Qui fuere multiformes, tenelli, arguti, nitoris supra quam credi potest studiosi, quamquam certum est simplicem pulchri rectique sensum nullo fucio nullisque lenociniis posse compensari. Nempe dum varietati metrorum et elegantiae consulitur, minore cum cura habuerunt illud quae cuique essent apta carmini. Vnde et Serenus res leviculas haud raro cothurnatis persequitur numeris et quidam eo dementiae progressi, ut epici carminis materiam dimetris iambicis attenuarent. Hoc est quod dicit Quintilianus circa stilicidia affici, de maiestate populi Romani demisse agere et subtiliter.

Ceterum omisi versus illos, qui apud scriptores historiae Augustae occurrunt, ne barbaries horum Anniani ac Sereni et reliquorum officeret nitori, simul quia persuasum erat eos melius reservari syllogae illi, quo omnia, quotquot extant, Romanorum carmina popularia complectimur.



## I. AELIVS HADRIANVS.

Videnda quae dixit de Hadriano Bernhardyus h. l. L. ed. III pgg. 297, 8. Hic imperator inter cetera vitae oblectamenta etiam versibus mediocribus Graeca pariter ac Latina lingua scriptis haud mediocrem operam insumpsit. Fuit enim ut ait Spartianus et poematum et litterarum omnium, maxime veterum, studiosissimus; nam et Ciceroni Catonem, Vergilio Ennium, Sallustio Caelium praetulit. Fuere autem scripta diversi generis, sed saepius tenuis. Pueros quos habebat delicatos versibus eum celebrasse aliaque amatoria carmina condidisse narrat Spartianus [c. XIII]. Quid quod eundem equi sui venatici cui nomen erat Borystheni tumulo epigrammata ab ipso composita insculpsisse auctor est Cassius Dio [LXVIII, 10]?

1. ego nolo Florus esse,  
 amblare per tabernas,  
 latitare per popinas,  
 culices pati rutundos.

Spartianus in vita Hadriani c. 16: Floro poetae scribenti ad se 'ego nolo Caesar esse' e. q. s. rescripsit. — V. 2 'amblare' Casaubonus, cf. d. r. m. 366; 'ambulare' v.

2. lascivus versu, mente pudicus eras.

Appul. apol. pg. 410 ed. Oud. 'divus Hadrianus cum Voconi amici sui poetae tumulum versibus muneretur, ita scripsit 'lascivus' e. q. s. Cet. cf. Mart. I, 4, 8.

3. animula vagula blandula,  
 hospes comesque corporis,  
 quae nunc abibis in loca,  
 pallidula, rigida, nudula!  
 nec ut soles dabis iocos.

Spart. ib. c. 25: et moriens quidem hos versus fecisse dicitur 'animula' e. q. s. tales autem, nec multo

meliores fecit et Graecos. — Post v. 4 fortasse quaedam lacuna hausta.

Praeter haec quae recte tribuantur Hadriano carmina Latina non extant. Nam tale 'ut belli sonuere tubae' et parodia eius 'Almo, Theon, Thyrsis' [210. 253 M.] cum nulla fere membranarum auctoritate addita sint Hadriano (nam codicem Parisinum 6630, saeculo si dis placet XIII tribuendum, in quo et haec poemata et illud 'Borysthenes Alanus' huic adscripta esse testatur catalogus non moror) silentio mittemus; nec minus illa 'Mantua da veniam', 'Thrax puer adstricto' [554. 69], e quibus hoc ne antiquum quidem videri assentior Schradero. Denique restant inscriptiones duae 'ille ego Pannoniis' et 'Borysthenes Alanus', quarum origo ut incerta satis tamen suspecta et ab Hadriano utique aliena. Quis enim putabit hominem cultissimum Graeculorum serae aetatis vel aliquando Romanorum more [cf. d. r. m. 355] nomen suum choriambica mensura extulisse [209, 3], aut nocendi verbum iunxisse accusativo [211, 7], aut versus Aristophanei trochaicum priorem violasse spondeo [ib. 4] et illius pariter atque anacreontei alternantem seriem confusis metris turbasse sicut evenit in epigrammate de Borysthene. Quod equidem puto compositum ab eo, qui Mysiam, in qua Hadrianum venationi indulsisse refert Dio, putaret Moesiam, cum potius sit Asiae regio.

## II. P. ANNIVS FLORVS.

Dixerunt de Floro Iahnus et Muellerus, quorum utrique Ottonis est praenomen, ille in praefatione librorum historici Flori pgg. XXXVIII sqq., hic in dissertatione de P. Annio Floro poeta a. 1855 Berolini edita pgg. 6 sqq.

P. Annius Florus cuius dissertationis qua quaeritur Vergilius utrum oratoribus magis an poetis sit

annumerandus (eandem etiam de Lucano motam quaestionem constat) particula quaedam ante annos circiter XXV innotuit quin idem sit cum Floro poeta, Hadriani amico illo, cuius extant quaedam epistularum ad imperatorem datarum reliquiae, non videtur posse dubitari. Is igitur c. a. p. Chr. 74 natus in Africa cum puero coronam in certamine poetarum Iovi Capitolino sacratio ab Domitiano propter invidiam imperatoris assequi non licuisset quamquam efflagitante populo, taedio repulsae victus peragrato orbe terrarum tandem in Hispania Tarraconensi constitit ibique ludum aperuit. Deinde Romam regressus in amicitiam Hadriani qui plurimum vixit cum hominibus litteratis videtur pervenisse, nisi eam iam ante cum homine ex Hispania genus ducente contraxit. — Sed enim fata Flori qui volet ex tractatu illo obvio plerisque cognoscet. Nunc de poematis videamus; nam historiarum T. Livii epitomen, quam liber Bambergensis Iulio Floro, Nazarianus L. Annaeo Floro tribuit, etsi huius quoque auctorem Hadriano aequalem fuisse constat, alienum esse a poeta facile adducor ut credam. Ceterum dolendum quod huius tam pauca eaque dubitationi non prorsus exempta prostant carmina. Ac primum quidem certo eius esse apparet versus apud Spartianum extantes; neque falsi videntur esse qui tetrametros quos proximo loco exhibemus servata Salmasiani libri scriptura in quo est Flori (nam in Thuaneo legitur ‘Floridi’, quae sequente ‘de’ evenit labes) eidem adscribunt Annio. Nam et pleraque omnia Salmasiani codicis carmina Afrorum sunt poetarum. Minus certa res de illo ‘venerunt aliquando rosae’. Quamquam quod Rivinus pro eo quod est Flori scribendum esse putat de Floribus, praecedentium eiusdem argumenti carminum titulis confutatur. Et aliquando in libro Salmasiano eorundem auctorum carmina longo extant intervallo dirempta. Quae cum ita sint, poematum illud Flori, quo certe non est indignum,

reliquiis addendum esse censui. Praeterea Riesius dubitavit an praecedentia tria opuscula quae in libro Salmasiano unam paginam duobus versibus minus complent, ita quidem ut ab illo 'Flori' incipiat nova, eidem sint tribuenda. Quae opinio quaquam incerta habet tamen quo commendetur. Certe haec carmina non sine causa nexa in libro scripto sed mutua imitatione orta facile tibi persuadebis. Simillimi autem argumenti nec ad illa emendanda inutile idyllium de rosis, quod recte seu secus inter Ausonii legitur opera.

Denique fuere qui pervigilium Veneris tribuerent Floro: nimis tamen res ambigua.

1. ego nolo Caesar esse,  
amblare per Britannos

\*  
Scythicas pati\* pruinas.

Spartianus in vita Hadriani c. 16. — 'Amblare' Casaubonus, 'ambulare' v. — Post Britannos lacunam unius versus esse Hadriani responso probari adnotavit Jahnius.

[de qualitate vitium]

2. Bacche, vini tu repertor, plenus adsis vitibus,  
effluas dulcem liquorem comparandum nectari,  
conditumque fac vetustum, ne malignis venulis  
asperum ducat saporem, versus usum in alterum.

In eis carminibus quae Salmasiano et Thuaneo libris tradita extant, ne nimius essem non nisi potissimas dittographias adposui, cum reliquae facili opera peti possint ex Riesii sylloge.

De qualitate vitium; 'vitium' ego; 'vitae' edd. — V. 2, scripsi 'vini tu' pro 'vitium' sive 'vitum', quod irrepsit mendum ex eo quod sequitur 'vitibus'. Ita vini repertor dicitur Bacchus a Rutilio Namatiano I, 73. — ib. 2 'comparandum' T. — ib. 3 'ne' T, 'nec' S. — ib. 4 'alterum' docti; 'altero' T, 'alteros' S.

3. mulier intra pectus omnis celat ulcus pestilens:  
dulce de labris locuntur, corde vivunt noxio.  
V. 1. 'mulier intra pectus omnis' Piersonus;  
'o. m. i. p.' v. — ib. 'ulcus' Bouhierius, 'virus' cdd.
4. sic Apollo, deinde Liber sic videtur ignifer:  
ambo sunt flammis creati prosatique ex ignibus,  
ambo de donis calorem vite, radio conferunt,  
noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.  
V. 3 'donis' Schraderus, 'comis' v. — ib. 'vite,  
radio conferunt' idem ('conferunt' iam Salmasius);  
'vitae (om. T) et r. conserunt' ST.
5. quando ponebam novellas arbores mali et piri,  
cortici summae notavi nomen ardoris mei.  
nulla fit iam exinde finis vel quies cupidinis:  
crescit arbor, gliscit ardor, animus implet litteras.  
V. 3 'fit iam' ego, 'fit' v.; 'facta' Baehrensium;  
'fuit' Schraderus contra rationem musicam. — v. 4  
'animus' Peerlecampius, 'ramus' cdd.; ita leg. 'ani-  
morum lib. pr.' pro 'amorum' in Parisino 7311. —  
'implet' i. e. 'aequat'.
6. qui mali sunt, non fuere matris ex alvo mali,  
sed malos faciunt malorum falsa contubernia.  
V. 1 'ex' vel 'abs' Pithoeus, 'ab' cdd. Cf.  
Theogn. v. 305, 6.
7. sperne mores transmarinos, mille habent offucias.  
cive Romano per orbem nemo vivit rectius:  
quippe malim unum Catonem, quam trecentos  
Socratas.  
V. 1 'offucias' Salmasius, 'officia' vel 'offugia'  
cdd.; fort. 'offucia'. — ib. 3 'Socratas' docti, 'So-  
grates' S, 'Socreteas' T.
8. tam malumst habere nummos, non habere quam  
malumst;  
tam malumst audere semper, quam malumst sem-  
per pudor;  
tam malumst tacere multum, quam malumst mul-  
tum loqui;  
tam malumst foris amica, quam malumst uxor domi.

nemo non haec vera dicit, nemo non contra facit.

V. 2 pudor, dictus ut apud Hor. sat. I, 6, 57; Tac. ann. XI, 35.

9. consules fiunt quodannis et novi proconsules;  
solus aut rex aut poeta non quodannis nascitur.
10. venerunt aliquando rosae. per veris amoeni  
ingenium una dies ostendit spicula florum,  
altera pyramidas nodo maiore tumentes,  
tertia iam calathos, totum lux quarta peregit  
5 floris opus. pereunt hodie, nisi mane leguntur.

V. 1 amoene S. — ib. 3 'per' Baehrensium; 'pro' edd., non recte; qui enim indignantis interiectio huic loco apta? — ib. 5 'leguntur' Baehrensium, 'legantur' v. Ceterum quantum ad sententiam carminis conferenda Hieronymi epistol. 26 illa 'quis parturientem rosam et papillatum corymbum, antequam in calathum fundatur orbis et tota rubentium foliorum pandatur ambitio, immature demessum aequis oculis marcescere videat?'

\*  
\* de rosis. \*

11. [a quales ego mane rosas procedere vidi!  
nasebantur adhuc neque erat par omnibus aetas.  
prima papillatos ducebat tecta corymbos,  
altera puniceos apices umbone levabat,  
5 tertia iam totum calathi patefecerat orbem,  
quarta simul nituit nudati germine floris.  
dum levat una caput dumque explicat altera  
nodum,  
sic, dum virgineus pudor exinuatur amictu,  
ne pereant lege mane rosas: cito virgo senescit.]

V. 1 'a' add. Baehrensium, al. 'o'. — ib. 3 'tecta' add. Oudendorpius. — ib. 5 'tertia iam' ego, in S utrum 'tertiam' an 'tertiam non' legatur non satis apparet ex adnotatione Riesii. Sed quid reponendum sit utique, probatur c. 10 v. 4. — ib. 6 'nudati' Oud., 'mutato' S; cf. idyll. de rosa vv. 23, 4.

— ib. 8 'exsinuatur' Salmasius, cf. id. *carm.* v. 29;  
'extenuatur' S. — ib. 9 'cito' add. Salm.

Eiusdem.

de rosa.

12. [aut hoc risit Amor aut hoc de pectine traxit  
purpureis aurora comis aut sentibus haesit  
Cypris et hic spinis insedit sanguis acutis.]

V. 2 'purporeis' S.

Eiusdem.

de rosis.

13. [hortus erat Veneris, roseis circumdatus herbis,  
gratus ager dominae, quem qui vidisset amaret.  
dum puer hic passim properat decerpere flores  
et velare comas, spina libavit acuta

5 marmoreos digitos: mox ut dolor adtiguit artus  
sanguineamque manum, tinxit sua lumina gutta.  
pervenit ad matrem frendens defertque querellas.  
'unde rosae, mater, coeperunt esse nocentes?  
unde tui flores pugnare latentibus armis?

10 bella gerunt mecum. floris color et cruor unumst'.]

\* \* \*

V. 3 'hic puer dum' S, corr. Salmasius. — ib. 9  
'pugnare' idem, 'pugnant' S, 'pungunt latitantibus'  
Scriverius, fort. 'pugnant latitantibus'. — ib. 'ge-  
runt' v., 'gerant' S; 'est' quod in codice legitur  
post 'floris' ad finem metri revocavit Baehrensium.  
Veneris responsum lacuna haustum recte statuit  
Riesius.

Denique addidi fragmenta pedestri sermone con-  
scripta, quae leguntur apud Charisium pgg. 38. 113.  
99, quoniam videri possunt sumpta ex praefatione  
poematum datorum ad Hadrianum. Sunt autem haec:  
Annius Florus ad Divum Hadrianum 'poematis de-  
lector' (ea bis leguntur verba) et porro: Fl. ad D.  
H. 'quasi de Arabe aut Sarmata manubias'.

## III. APVLEIVS.

## I. LIBER LVDICRORVM.

Ex libro ludicrorum quae servata sunt praeter unum versum leguntur in apologia Apulei. Ceterum etiam Anniani Falisca carmina ludicra vocavit Terentianus.

1. Calpurniane, salve properis versibus.  
 misi, ut petisti, mundicinas dentium,  
 nitelas oris ex Arabicis frugibus,  
 tenuem, candificum, nobilem pulvisculum,  
 complanatorem tumidulae gingivulae,  
 converritorem pridianae reliquiae,  
 nequae visatur tetra labes sordium,  
 restrictis forte si labellis riseris.

Ap. apol. pg. 391 ed. Oud.: primo igitur legerunt e ludicris epistolium de dentifricio versibus scriptum ad quendam Calpurnianum.

V. 2 'mundicinas' Lipsius, edd. 'munditias' sive 'mundicias'.

2. et Critias mea deliciast et salva, Charine,  
 pars in amore meo, vita, tibi remanet.  
 ne metuas: nam me ignis et ignis torreat, ut vult,  
 hasce duas flammis, dum potior, patiar.  
 hoc modo sim vobis, unus sibi quisque quod ipsest.  
 hoc mihi vos eritis, quod duo sunt oculi.

Apol. pg. 401: venio ad ceteros versus, ut illi vocant, amatorios, quos tamen tam dure et rustice legere, ut odium moverent. Sed quid ad magica maleficia, quod ego pueros Scriboni Laeti, amici mei, carmine laudavi? An ideo magus, quia poeta? recitem denuo, ut sciant me eorum non pigere.

V. 1 'delicia est et' Kruegerus, 'deliti stet' .. Victorianus, 'delitescet' Florentinus, ut tamen ultimae sex litterae m. 2 scriptae sint in rasura.



3. florea sarta, meum mel, et haec tibi carmina dono.  
 carmina dono tibi, sarta tuo genio;  
 carmina, uti, Critia, lux haec optata canatur,  
 quae bis septeno vere tibi remeat;  
 sarta autem, ut laeto tibi tempore tempora ver-  
 nent, 5  
 aetatis florem floribus ut decores.  
 tu mihi des contra pro verno flore tuum ver,  
 ut nostra exuperes munera muneribus.  
 pro implexis sertis complexum corpore redde,  
 proque rosis oris savia purpurei. 10  
 quod si animam inspires donaci, iam carmina nostra  
 cedent victa tuo dulciloquo calamo.

Apol. p. 402: 'florea — calamo'. — recitem nunc et alios, quos illi quasi intemperatissimos postremum legere. Habes crimen meum, Maxime, quasi improbi commissatoris de sertis et canticis compositum. Hic illud etiam reprehendi animadvertisti, quod, cum aliis nominibus pueri vocentur, ego eos Charinum et Critiam appellitarim.

V. 5 'des' Kruegerus, 'das' edd., v. 'da'. ib. 11 'animam' Colvius, 'animum' edd.; 'donaci' Hauptius Hermae II, 222, 'dona et' v. Id vocabulum etiam reperitur versu illo 'tale quale vere dulce sibilat teres douax'.

4. nei fuisti quondam Athenis parcus atque abstemius.

Nonius pg. 68 s. v. abstemius 'Apuleius in se f. e. q. s. in libro ludicrorum'. Scripsi 'nei'; 'inse' Guelf., 'in sise' Turic., 'in se' compuncto 'in' Leidensis prior; ib. 'parcus' docti, 'paucius' edd.

## II. ORACVLVM APOLLINIS MILESII.

5. montis in excelsi scopulo tu siste puellam,  
 ornatam mundo funerei thalami.  
 nec speres generum mortali stirpe creatum,  
 sed saevum atque ferum, vipereumque malum,

5 qui pinnis volitans super aethera cuncta fatigat,  
 flammaque et ferro singula debilitat,  
 quo tremit ipse Iovis, quo numina terrificantur,  
 fulmina quem horrescunt et Stygiae tenebrae.

Apul. Metam. pg. 301 Oud.: sed infortunatissimae filiae miserimus pater suspectatis caelestibus odiis et irae superum metuens dei Milesii vetustissimum percontatur oraculum et a tanto numine precibus et victimis ingratae virgini petit nuptias et maritum, sed Apollo quamquam Graecus et Ionicus propter Mileti conditorem sic Latina sorte respondit.

V. 1 'tu siste' Iahnus, 'iste' cum ras. m. 1 ed., m. 2 'subsiste'. — ib. 7 'quo' docti, 'quod' v. — De forma 'Iovis' videnda quae diximus in libro nostro pg. 379. — ib. 8 'fulmina quem' ego, 'fluminaque' ed.

### III. ANNIANVS.

De Anniano et Septimio praeter plurimos alios dixere Wernsdorfius in epimetro p. L. m. p. II paginis 282 sqq. et Santenius ad Terentiani Mauri v. 1816. Meliora longe (nam hi ut vera passim falsis contaminarent ea re sunt inducti quod Terentianum putarunt circa finem saec. p. Chr. n. primi floruisse) protulit Lachmannus in praefatione Mauri. Denique de utroque poeta diximus libri nostri pgg. 96—98. Ibi etiam carminum Sereni potissima collegimus.

De Anniano extant Auli Gellii, cuius fuit aequalis, testimonia l. VI c. 7, VIII 10, XX 8. Eorum adscribam initia.

Annianus poeta praeter ingenii amoenitates literarum quoque veterum et rationum in literis oppido quam peritus fuit et sermocinabatur mira quadam et seita suavitate.

Annianus poeta et plerique cum eo eiusdem Mu-

sae viri summis assiduisque laudibus hos Vergilii versus ferebant, quibus Volcanum et Venerem iunctos mixtosque iure coningii, rem lege naturae operiendam, verecunda quadam translatione verborum cum ostenderet demonstraretque protexit.

Annianus poeta in fundo suo, quem in agro Falisco possidebat, agitare erat solitus vindemiam hilare atque amoeniter.

Igitur hic vir quem et litteratorem veterum scriptorum cum primis curiosum pariterque poetam fuisse tradit Gellius scripsit idyllia quibus ruralis vita depingeretur incerto librorum numero; nec enim quicquam efficias versu Terentiani 1820. Eis de fundo illo in Faliscorum terra sito Faliscis nomen indidit. Ceterum his quamquam haud dubie etiam inserta fuere erotica carmina, idem tamen argumentum propriis Fescenninorum opusculis videtur esse persecutus. Nam Ausonius, qui solus eorum meminit in epilogo centonis nuptialis [pg. 214 ed. Bip.], Annianum memorat inter eos auctores, qui totis libris lascivam tractaverint materiam.

Difficillima est quaestio de Sereno Anniani sectatore, quam tamen longe aliter expediendam censeo ac visum est Lachmanno, qui disseruit de poetis quos dixi in praefatione Terentiani [pg. XIII sqq.], ubi Anniano Falisco Fescenninos sive ludicra carmina adscribit, quod genus poematis postmodo Septimius Serenus Faliscis suis renovaverit. Sed primum omnium testimonia veterum quibus tangitur res, de qua agitur, cum cura expendenda. Itaque apud Ter. vv. 1988 sqq. haec leguntur:

syllaba praeterea numero superadditur isti.  
 non refert qualis, cum sit suprema futura.  
 hoc refert sane, brevis ut paenultima fiat,  
 ultima quae metro fuit hoc inventa Sereni.  
 nam lyrici quotiens sua volunt  
 carmina per varios dare sonos,  
 pluribus illa modis ita novant.

dactylicum hoc fieri magis amat;  
 vel si ponitur unus alius  
 pes, modo tertius hunc retineat.  
 talia docta Falisca legimus.  
 nam tibi notius hoc genus erit,  
 carmine siquid ab hoc posuero.  
 'quando flagella iugas, ita iuga,  
 vitis et ulmus uti simul eant.  
 nam nisi sint paribus fruticibus,  
 umbra necat teneras Amineas'.

Iam ut concedam ex his verbis certum prorsus de auctore ultimorum versuum statui non posse, tamen simpliciter iudicaturis facile persuadebitur ipsis illis probari sat certo non fuisse Serenum eum qui docta illa Falisca, e quibus quaedam deprompsit Terentianus, scripsit. Praeterea cum notum utique esset Mauro Annianum et Falisca scripsisse carmina et in his etiam usum esse metro Calabrio, non facile adducor ut credam illum tam ambiguo sermone fuisse usurum, si Sereni versus exhibuisset, praesertim ubi mentio eius facillime potuit adnecti ad exempla ex eiusdem nominatim compellati carminibus opusculorum ruralium prolata vv. 1973—1991.

Iam ex Terentiano ducta, ut saepe, alio tamen simul adhibito auctore, qui nescio an Iuba fuerit, apud Marium Victorinum pg. 178 G. leguntur haec 'item ex tribus dactylis accedente ad extimam clausulam pyrrhichio seu iambo lyrici versus metrum, quod Graeci Calabron appellant, informabitur, usurpatum a pastoribus Calabriae, qui decantare res rusticas his verbis solent, quod genus metri Annianus Faliscum carmen inscribit, tanquam

carmina per varios dare modos;  
 ut est illud apud Septimium Serenum: quando flagella ligas, ita liga, vitis et ulmus uti simul eant'. Idem pg. 180 et metrum tale 'pergat amica Venus modo iocis' et paroemiacum illud 'unde, unde colonus? Eoi a flumine venit Oronti' dicit vocitata Falisca.

Sed quod adscribit Sereno ea quae sunt 'quando flagella ligas', aut egregie fallor aut verba Terentiani quae supra posui male intellecta non ipsius Sereni exemplar, quali umquam eum usum esse non potest probari, secutus est. Nec existet facile quisquam, qui Sereno pervicacius adscribat versus istos, si solo ea res adseratur testimonio Victorini. Nam mirificus haud raro stupor eiusdem in adhibendis Terentiani verbis. Ita pg. 177 ex vv. huius 1967, 68 hoc si dis placet Pomponium metro usum elicere sibi visus est:

Priamique aras damnare pias tunc,  
cum illud *tunc* ipsius sit Mauri. Aliud insignis eiusdem negligentiae exemplum Lachmannus notat ad v. Ter. 2881.

At enim etiam Servius in eis quae profert ad aen. III, 291 versum ut puta 'quando flagella ligas, ita liga' adscribit Sereno, cuius carminum notitiam non ex solo Terentiano hausit ille. Audio; sed cum huius metrici haud raro librum adhibuerit scholiasta, vel illum versiculum ex eodem petitem satis fit probabile. Quamquam potuit etiam sumi ex libris Victorini. Nam et alibi eiusdem mentionem videtur inicere [ad georg. III, 373]. Servium ut solet excipit scholiasta Statii Bambergensis ad theb. III, 311.

Frustra autem Lachmannus provocat ad alterum eiusdem quod ipsi videtur Servii testimonium. Nam in centimetro pg. 1824 cum haec legantur ut exemplum metri Falisci

docta Falisca Serene reparas,

demonstrari ait ille etiam ab ipso Servio profecta, non ab interpolatore addita ea quae sunt adscripta ad aen. III, 291. Sed illud argumentum qualecumque ne pondus habere videatur, iam demonstrabo non posse centimetrum illum — quem ipse vocavit auctor — scriptum esse a Servio. Id cur negem tres potissimum causas habeo.

Ac primum quidem non adducor ut credam opusculum tam ieiunum et indoctum a grammatico sui temporis eruditissimo esse profectum; neque enim, ut hoc exemplo utar, verus ille Servius galliambum ex dimetro iambico catalectico cum anapaesto vel spondio et duobus iambis constare dixisset. Etiam hoc notandum quod cum in scholiis Servius poetarum versus ex plurima lectione petitos afferat paene innumerabiles, centimetri auctor adeo eos reformidat, ut ne in notissimis quidem metris Vergilii sive Horatii exempla promere sustineat, quae siquando succurrerunt ea proprio periculo invertere quam integra adhibere maluit, sicut factum in Sapphico illo:

Faune nympharum metus et voluptas.

Denique versu illo

mortem contemnunt laudato vulnere Getae  
indicari auctorem non Rhadagaiso et Alarico aequalem (is enim odium potius vel contemptum quam laudem huius gentis declararet) sed qui fuerit Gothorum regibus, ut est in chronicis, obtinentibus Italiam iam alibi monui [ann. phil. a. 1866 p. 565]. Vnde eadem verba similis condicionis homo Isidorus per errorem poetae nescio cui adscripta ad extollendam Getarum virtutem affert in chronicis [pg. 731 ed. Grot.].

Quae cum ita sint, Albinus ille qui in praefatione centimetri memoratur videtur fuisse filius eius qui a. p. Chr. 493 consul factus est imperii occidentalis.

Notum autem Servii vel Sergii nomen saepe a librariis mediæ aevi adscriptum aliorum auctorum enchiridiis grammaticis sive metricis. Nam et tractatus de finalibus qui Prisciano fuit recentior [cf. ann. phil. l. m.] et incerti temporis libellus de metris Horatianis eidem tributi homini.

Sed ut revera scripserit centimetrum Servius, non tamen probabitur testimonio eius Sereni esse illa 'quando flagella ligas, ita liga'. Nam versum, unde

orta est disputatio nostra ‘docta Falisca Serene reparas’ ex Terentiani illis ‘talia docta Falisca legimus’ esse fictum nemo ut opinor dubitabit. Ex eodem apertissime fonte ducta quamquam diverso errore quae Augustinus in quarto de musica libro profert cap. 30: neque enim si Faliscus nescio qui metra ita composuit ut haec sonant ‘quando flagella ligas, ita liga, vitis et ulmus uti simul eant’, scire hoc possumus. Ceterum non erat cur miraretur Santenius epitheton illud ‘docta’. Nam id Terentianus ut adderet videtur esse impulsus ea re quod Laevii omnino et aequalium eius ad imitationem fuere composita carmina Falisca, quae et dictionum proprietate et numerorum multitudine pariter ac difficultate referebant illos. Quamquam quis ignorat a Catulli inde tempore nihil frequentius appellatione illa in poetis vel carminibus laudandis?

Sed ut redeam in viam, de versibus illis ‘quando flagella ligas, ita liga’ e. q. s. ita mihi videtur statuendum, ut dicatur eos in enchiridio illo quo pariter usi sunt Terentianus et Victorinus ut Calabrii metri exemplum ex Faliscis petatum carminibus sine nomine auctoris, quippe noti plerisque et obvii, esse prolatos; quos cur Sereno adscripserint auctorum Terentiano posteriorum plerique nullam aliam esse causam quam quod proxime praegresso in huius versibus nomine illius per errorem sane facilem ac frequentem Septimii ut praecedens ita etiam posterius crediderunt esse exemplum, cum Anniani libros inspiciendi aut voluntas eos deficeret aut facultas.

Ceterum vel hoc videtur dubium, num recte asserat Victorinus metrum quod est ‘quando flagella ligas, ita liga’ Faliscum carmen vocatum ab Anniano. Certe non solo hoc numero opuscula eius quae inscripsit Falisca composita esse constat. Quare propius a fide abesse existimo hic quoque eum ut saepe lapsus esse interpretando Terentiano. Nam eodem certissime errore praeceptus datus falsus Servius, qui

eum aperte solo sit usus Mauro hoc etiam Faliscum dicit metrum. Accedit quod Victorinus eiusdem Terentiani verbis deceptus paroemiacum quoque metrum dicit Faliscum vocitatum.

Quae si recte disputata esse videbuntur, apparet simul quadamtenus inverti, quae Henricus Keilius in quaestionibus grammaticis Erlangae a. 1860 editis de aetate Iubae metrici disseruit. Nam cum hic exemplo ab ipso ut videtur conficto 'siqua flagella iugabis ante putare decet' aperte prodat peritiam versus qui est 'siqua flagella iugas ita iuga', Keilius pg. 19 eum Sereno posteriorem esse dixit atque adeo saeculi III fini vel initio quarti adscribendum. Sed enim si Anniani est metrum istud, nihil obstat quin Iubam Hephaestioni fere aequalem hoc est circa finem saeculi praecedentis floruisse existimemus. Et tutius erit, ni fallor, — ut in re incerta — Iubam, qui Victorino teste [pg. 127] inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit, quam potest fieri antiquissimo adscribi tempori.

Longe expeditior res est in altero Terentiani testimonio, quod habetur ubi paroemiaci affert metri exempla. Ibi haec leguntur vv. 1816 sqq.:

atque ille poeta Faliscus  
cum ludicra carmina pangit  
'uva una set uva Falerna,  
et ter feror et quater anno'.  
libro quoque dixit eodem  
'unde, unde colonus? Eoi  
a flumine venit Oronti.'

Nempe haec salva Latinitate referri posse ad Serenum nego. Quid enim? ut ille aemulatione Anniani inductus scripserit librum Faliscorum titulo, num ideo recte dicetur poeta Faliscus? Quis hercule, ut hoc exemplo utar, eum qui *Λοκρικὰ ἄβυστα* imitetur argumento atque adeo inscriptione ideo Locrum poetam nominabit? Quis Horatium Aeolium appellavit vatem, quia principem se Aeolium carmen ad Italos



modos deduxisse gloriatur? Nec vero Annianus ideo Faliscus poeta audit quod Faliscorum carminum edidit libros sed quod fundum in agro Falisco habuit.

Quae cum ita se habeant, apparet falli qui Serenum Faliscorum carminum librum composuisse testimoniis veterum credunt adstrui; neque ea per se opinio umbram habet probabilitatis. Quid enim? Annianus cum Suetium secutus et Laevium idylliis suis quae inscripsit Falisca ruralis vitae suavitatem descripserit, nonne eandem plane materiam ruralibus opusculis tractasse constat Septimium? Qui igitur unus homo idem argumentum etiam altero recoqueret opere? Nam illud mitto ipsum Faliscorum titulum, cum aptissimus sit libris Anniani, ineptum esse Sereni carminibus, nisi forte etiam hunc fundum in Faliscorum agro possedisse existimabimus.

Ceterum ne illud quidem sat constat fueritne revera, id quod vulgo credunt, exemplo Annianus Sereno. Neque tamen potest negari opinionem hanc sua defendi probabilitate. Nam idem plane argumentum et Faliscis carminibus et opusculis ruralibus, similis utrique poetae variorum pariter atque insolentium metrorum amor, ut omittam comparem poetarum Augusto priorum aemulationem. Ita etiam paroemicum numerum utrumque adhibuisse constat, neque est cur Serenum Calabrio metro usum esse negemus, quod placuisse sui temporis lyricis satis aperte declarat Terentianus vv. 1992 sqq. — Ceterum ipsis verbis Terentiani quae sunt ‘*talia docta Falisca legimus; nam tibi notius hoc genus erit, carmine siquid ab hoc posuero*’ abunde declarari existimo non ignotum neque inglorium fuisse Annianum apud saeculi III homines. Mox sensim idem abire in oblivionem. Certe praeter Victorinum et Ausonium disertam eius mentionem factam non inveneris; neque sat constat, Boethius qui in libris de consolatione philosophiae [III, 1] versibus qui sunt ‘*qui serere ingenum volet agrum, liberat arva*

prius fruticibus' aperte tangit illud 'nam nisi sint paribus fruticibus' ipsius Anniani librum an Terentiani memoriam respexerit.

## I. CARMINA FALISCA.

1. uva una, set uva Falerna,  
et ter feror et quater anno.

Terentianus ubi metrum enarrat paroemiaticum vv. 1816 sqq.: atque ille poeta Faliscus cum ludiera carmina pangit. De coniectura scripsi 'una set'; vulgo sine sensu ac durissimo metro 'uva sum et'.

2. unde, unde colonus? Eoi  
a flumine venit Oronti.

Terentianus Maurus v. 1820 libro quoque dixit eodem (poeta Faliscus) e. q. s. 'unde unde'. Hinc Mar. Vict. pg. 180: inde intellegi datur ex huiusmodi anapaestis carmen illud Faliscum, quod constat ex spondeo duobus anapaestis et syllaba esse compositum 'unde' e. c. — Omittit alterum unde Victorini liber Parisinus. Correxì interpunctionem. 'Eoi' docti, 'Eoae' Ter. et Mar. — Oronti, cf. Verg. Aen. I, 220. Vulgo inepte ac pessimo metro scribitur 'undae, unde colonus Eoi' e. r. — Ceterum illud 'venit' utrum a veniendo an a veneundo descendat incertum.

3. quando flagella iugas, ita iuga,  
vitis et ulmus uti simul eant.  
nam nisi sint paribus fruticibus,  
umbra necat teneras Amineas.

Ter. Maurus ad exemplum metri quod Calabron esse vocitatum a Graecis narrat Victorinus pg. 178 (constat autem priore parte hexametri qui fit caesura instituta semiquinaria et paeone quarto sive proceleusmatico) ita pergit vv. 1995 sqq. 'dactylicum hoc fieri magis amat: vel si ponitur unus alius pes, modo tertius hunc retineat. talia docta Falisca legi-

mus: nam tibi notius hoc genus erit, carmine siquid ab hoc posuero 'quando flagella' e. q. s. Marius Victorinus pg. 178 in eiusdem metri exemplo: ut est illud Sereni 'quando — eant'; idem paullo post rursus adfert v. 2. — Servius ad aen. III, 291: sane quando do brevi est naturaliter; sic Serenus qu. — liga. — Eadem Schol. Stat. ad theb. III, 311. — Augustinus de musica III, 30: si Faliscus nescio qui metra ita composuit ut haec sonant 'quando flagella' e. q. s. — Versum primum et secundum Iuba metricus respexit in exemplo confusorum ac mixtorum dactyli spondeique ac trochaei, quod affert Priscianus in libro de metris Terentii pg. 1322. 'Iugas' 'iuga' Terentianus; et confirmatur hoc eis quae sunt apud Iubam; 'ligas' 'liga' Victorinus, Servius, schol. Stat., ap. quem est 'italica', Augustinus. Nota illud 'Amineas' efferri correptis secunda et tertia, quas producunt Vergilius georg. II, 97 et Samm. 544. Nec tamen id mirum, cum quidam Servio auctore Amineum vinum dictum esse putarint quasi sine minio. Vnde et Ausonius epist. XVIII, 31 pro choriambos posuit Amineum. Ceterum cum recordatione huius fragmenti compositum est metrum Boetii illud [d. c. ph. III, 1] 'qui serere ingenuum volet agrum, liberat arva prius fruticibus'.

4. [acuta falce si virentes aesculos]

Mar. Vict. pg. 131: sed et bacchiacis et creticis coniugationibus adaeque usi sunt ut est hoc 'acuta' e. q. s. Vulgo 'esculos'. Haec Anniano quam Sereno tribui tutius. — Ceterum nugatur grammaticus; nam habes ingenuum trimetrum iambicum admissio in pari sede spondeo.

## II. FESCENNINI.

Ausonius in epimetro centonis nuptialis, ubi excusat eius lasciviam 'nam quid Anniani Fescenninos,

quid antiquissimi poetae Laevii Erotopaegnion libros loquar? quid Euenum, quem Menander sapientem vocavit? quid ipsum Menandrum? quid comicos omnes? quibus severa vita est et laeta materia?.

## V. SEPTIMIUS SERENVS.

Septimius Serenus incertae originis (quamquam Afrum fuisse non abhorret a probabilitate, nihil tamen ut statui possit certi) circa annum u. c. millesimum floruisse est existimandus. Is Sueium et Laevium et aequales huius secutus plane ut Annianus quem et ipsum videtur esse aemulatus opuscula ruralia composuit, incerto voluminum numero. E quibus secundum memorat scholiasta Iuvenalis. Neque repugnat versus ille Terentiani:

Septimius docuit quo ruris opuscula libro.  
Etenim librum saepe pro toto opere poni quis ignorat?

In his carminibus Septimius bucolicorum more ruris opera pariterque res amatorias persequitur; nec enim ullum est fragmentum, quod non ad hanc facili opera referri possit materiam.

Hic est poeta, quo nullus e Latinis exceptis tamen ut videtur Laevio ac Varrone et Terentiano plura metra adhibuit. Idem etsi nec ipse vitii eius fuit expers quod poetis saeculi a. u. c. decimi adfuisse supra memoravi tamen insigni excellit suavitate, magnopere ut sit dolendum eius libros intercidisse. Et hercule non exigua floruit idem existimatione apud posteros.

l. a.                   inquit amicus ager domino  
                          'si bene mi facias, memini'.

l. b.                   pineae brachia cum trepidant,  
                          audio canticulum Zephyri.

Terentianus ubi de tetrametro dactylico agit vv.

1975 sqq. Septimius docuit quo ruris opuscula libro, hoc genere adsidue cecinit. ponere pauca mihi sat erit. Ex Terentiani carmine ut pleraque petita habet eadem Marius Victorinus pg. 177 G, ubi minus bene legitur 'dum' pro 'cum', et 'mihi' pro 'mi'. Versus 3. 4 ex alterius carminis principio sumpti.

2. rure puella vagat virido.

Nonius pg. 467 s. v. vagas pro vagaris. Serenus opusculis.

3. pingere collibitumst. graphidem date. promite chromatium.

Diomedes pg. 516 Sereni aliud tale est: pingere e. q. s. — superius comma est tetrametrum heroum ex superiore, posterius comma est dimidium elegiaci. — 'chromatium' scripsi, quam facile patiar coniecturam potiori cedere; 'volarium' edd.

4. labiumque insigne revellit.

Nonius s. v. labium pg. 210: Serenus in opusculis. — 'labiumque' edd., 'laviumque' edd. — Quantum ad rem, cf. Hor. c. I, 13, 11—15.

5. culicellus amasio Tullae.

Diomedes pg. 513, qui nugas affert de hoc metro. 'Tullae' Wernsdorfius, 'Tulle' v.

6. callet senium arte bibendi.

Nonius pg. 257: callet significat scit — Serenus in opusculis. — 'callet' Genevensis liber cum priore Lugd., 'callent' Guelf. 'bibendi' Iunius, 'vivendi' v.

7. [distractos atque sallitos]

Fuere qui haec verba quae leguntur ap. Diomedem pg. 372, cum Severo adscripta essent a grammatico, Sereno poetae tribuenda esse censerent, subtracta equidem I, ut paroemicum aequarent. Sed illi quam longe a vero aberrarint ut plene intelligatur legenda quae adnotavit Keilius l. m.

8. cedo testula trita solo! cor iet tibi per speculum, Panope.

Diomedes pg. 511: anapaesticus, qui ex pedibus anapaestis constat, talis est in Sereno. — 'cedo'

Scaliger, 'caelo' vel 'cede' cdd. — 'solo. cor iit' idem ('iet' ego, cf. d. r. m. 403), 'sol occurrit' sive 'solem occurret' scripti.

9. quodsi tibi virgo favens reseret cita claustra  
puerperii.

Diomedes pg. 516 Sereni aliud tale: quodsi e. q. s. — hic si primum semipedem detrahas, erit simile proximo superiori (3). — 'virgo', Diana. — 'favens' Wernsdorfius, 'fervens' cdd.

10. qui naufragio naviculam aufers Picenae marginis acta.

Diomedes pg. 516. Serenus fecit huiusmodi versum: qui e. q. s. superius comma est ex anapaestico chorico de quo supra dictum est. nam hoc 'qui naufragium navicula aufers' simile est illi 'audax nimium qui freta primus'. inferius autem comma quod est tale 'Picenae marginis acta' simile est illi 'Troiae qui primus ab oris'. — 'naufragio naviculam' scripsi, 'navigium navicula' cdd. excepto quod posteriore loco 'navigius' alter Parisinus. 'Picenae' docti, scripti 'Picenee' vel similia.

11. animula miserula properiter abiit.

Diomedes pg. 513 proceleumaticum metrum est quale fecit Serenus. Eundem versum ipsius vel potius librariorum errore — de qua re diximus nuper ad Catulli LXIV, 235 — Nonius pg. 517 s. v. properiter adscribit Catullo. 'propter iter' cdd. Diomedis. 'abiit' Lachmannus, 'abit' Nonius, 'obit' vel 'obiit' libri Diomedis. Cf. Hadr. 3, 3. — Sed enim ne illud quidem quod est 'obiit' male habere comprobatur versiculo '*perit* abit avipedis animula leporis'. — Ceterum imitatus est hoc carmen Ausonius parental. 27, 1 'et amita Veneria properiter obiit'.

12. [perit abit avipedis animula leporis]

Haec verba ad proceleusmatici numeri exemplum affert Terentianus v. 1464 et secutus hunc Victorinus pg. 134. 202, Sereno adscribit Martianus Capella pg. 171 ed. Eyss., qui aliquotiens usus metrico illo.

Sed enim haud improbabiler statuit Westphalius in libris de re rhythmica Graecorum t. II pg. 2 pg. 129 hunc per errorem et deceptum alterius versus qui haud dubie est Sereni similitudine ut puta huius ‘animula miserula properiter abiit’ Septimio adscripsisse metrum quod potius a grammaticis latinis sit expressum ad exemplum Graeci versiculi qui est ‘*ἴδι μόλε ταχύποδος ἐπὶ δέμας ἐλάφου*’.

13. [nemus ave reticuit, ager homine silet]

Affert Marius Victorinus pgg. 70. 104. 134 ut exemplum tetrametri proceleusmatici catalectici. Sereno non sine specie quadam tribuere docti. Ceterum loco altero et tertio pro ‘silet’ legitur ‘sonat’. Praeterea in Parisino libro est ubique illud ‘hominem’.

14. aut zonulam aut ricam aut acum.

Nonius pg. 539 s. v. rica. Serenus opusculorum (vulgo ‘opusculo’) lib. I. — ‘Zonulam’ edd., ‘zonula’ edd. — ‘aut ricam aut acum’ ego, ‘aut acum aut ricam’ libri.

15. occatio occaecatiost.

Nonius pg. 61 s. v. occasionis: Serenus. — Occationem ab occaecando dictam esse auctor est M. Tullius d. sen. XV, 51. Cf. et Isidorus XVII, 2.

16. non dignus in quem debeam  
saturam calentem adcingier.

Schol. Iuv. ad III, 2 ad partes: aut ad partes quasi comoediae, quae multae sunt in eum, aut ad partes quasi convivii et copulationis mensae. ita et Sesenus (‘Serenus’ docti) libro II ait. — ‘calentem adcingier’ ego, ‘calente vi adingerere’ edd.

17. ~ - ~ suave sibilum

Non pg. 223: sibilum neutro ut apud Serenum. — Nota sigmatismum.

18. (laeva manus infuderat).  
‘inferis manu sinistra  
immolamus pocula.

laeva quae vides Lavernae,  
Palladis sunt dextera.'

Barthii commentator ad Theb. III, 502 'quod inferis diis laeva manu immolaverint indicat, quod ad poculenta tamen solum intelligimus, ut scriptum est apud Serenum'. Apud Lindenbrogium haec leguntur adscripta ad locum quem dixi 'qui sinistra manu funduntur; leva manu ('manus' Paris. 8063) infuderat. inferis sinistra manu immolamus pocula'. Haec etiamsi ex parte Barthii dubiae fidei hominis testimonio nituntur, tamen subtrahere non sustinui. Ceterum dimetros constitui pro tetrametris, et scripsi 'Palladis' pro 'Palladi'.

19. Semiremex Hercules.

Servius ad aen. V, 116: erit nominativus remex. Serenus 's. r.' — Cdd. 'Hercules' vel 'Hercule'. Docti quidam 'Herculis'. Prius verbum corruptum.

20. [pastor ille saepe mane dulce carmen insonat]

Fl. Mallius Theodorus pg. 547 affert exemplum tetr. trochaici qui spondeis caret.

21. [tale quale vere dulce sibilat teres donax]

Mar. Vict. pg. 114, At. Fort. 344 (ubi est 'vere primo') ponunt exemplum puri tetrametri trochaici.

Hos versus, si sunt Sereni, continuos positos fuisse existimem.

22. pusioni meo  
septuennis cadus.

Diomedes pg. 516 Serenus mirum comma huiusmodi fecit in his versiculis: pusioni e. q. s. — haec dimetra ex epitrito sunt. — Egregie fallitur Diomedes. — 'pusioni' Monacensis m. 2, 'iusioni' idem m. 1, 'visioni' libri Parisini; praeterea in libris scriptis est 'septuennis' et in isdem 'cadeus', quod correxit vitium Scioppius.

23. Iane pater, Iane tuens, dive biceps, biformis,  
o cate rerum sator, o principium deorum,  
stridula cui limina, cui cardinei tumultus,



cui reserata mugiunt aurea claustra mundi,  
tibi vetus ara caluit Aborigineo sacello.

Terentianus vv. 1889 sqq. postquam descripsit choriambicum illud, quo prima usa Sappho 'δεῦτέ νυν ἄβραι Χάριτες καλλίχομοί τε Μοῖσαι', haec addit: qui multos legere, negant hoc corpore metri Romanos aliquid veteres scripsisse poetas. dulcia Septimius qui scripsit opuscula nuper, ancipitem tali cantavit carmine Ianum. Tum adlatis vv. 1—4 sic pergit: ecce vides *ta mugiunt* esse duos iambos: temporibus namque pares saepe sibi vicissim cedere vel tribrachyn admittere saepe possunt 'tibi vetus' e. q. s. V. 2 adfert Victorinus pg. 116, 4 idem 185, 5 186 et 201, omisso ubique nomine auctoris. Ceterum apud eundem legitur v. 4 illud 'templa' pro eo quod est 'claustra', fortasse rectius, firmatum certe exemplo Lucretii, quod imitatum esse Serenum facile potest credi. Nam ita dixit ille V, 1436 mundi magnum versatili' templum et I, 1039 caeli lucida templa. Sunt preces Sereni ad Ianum sive initio anni sive ea occasione, quam Cato in libro d. r. r. cap. 134 tangit, vel alia factae.

24. [rumpunt teneras uviferae comas lagei]

Mar. Vict. pg. 104 Sotadius dicitur, ut est ille (vulgo 'et est illae'). Sereno tribuit Wernsdorfius.

25. ad mercatum eo, vilice:  
quid vis inde vehi aut agi?

Nonius pg. 431: mercatus est locus, in quo agitur mercatura. Serenus opusculis. Prior versus legitur apud eundem grammaticum pg. 212 s. v. mercatus, ubi Serenus ruralibus memoratur.

26. geritque intus in oppidum  
anhelos Panope greges.

Ter. M. ubi memorat in basi metri glyconii saepe et iambum admitti vv. 2627 sqq.: hoc de Septimii potes iunctis noscere versibus. — 'Panope' docti, 'Panopae' ed. princ. — Panope vilica eademque amica Septimii.

27. [iuverunt segetes meum laborem]

Ter. 2855 sqq. sed iste versus (anacreontius) quali compositus tome sit edam 'iuverunt' e. c.

Haec Petronii inter reliquias rettulere nonnulli, rectius Sereno tribuas, nisi ipse finxit Terentianus.

28. et nihil est quod anem Flaminia minus.

Mallius Theodorus de metris pg. 538 G.: metrum aliud dactylicum pentametrum recipit pedes hos: dactylum sive spondium loco primo et secundo, catalecton in medio, inde duos dactylos sine catalecto, ut est illud Sereni e. q. s. 'Flaminia minus' ed. Paris., 'flammiamuni' Guelf. Flaminiam viam respici putat Wernsdorfius; ego feminae potius nomen esse existimarim; nam pleraque Sereni fuere erotica.

29. [tibi nascitur omne pecus, tibi crescit herba]

Ter. vv. 1913 sqq. dum metrum archebulium enarrat: 'turba terribilem sonitum dedit aere curvo' (ex Verg. VIII, 503) anapaestus inest quater, ultimus antibacchos. similem dabo versiculum, magis ut probetur 'tibi' e. q. s.; cf. et 1918. Eundem versiculum afferunt Marius Victorinus pg. 183, Diom. 498, Atilius 313. 'Herba' semel Victorinus et sic bis Diom. et Atil.; 'haedus' bis Ter. et Vict. Ceterum Pana sive Palem alloqui quicumque scripsit hunc versum sat apertum.

30. [caduca popli coma glauca iam per agros]

Mar. Vict. pg. 81: hypercatalectum vero (trimetrum iambicum) cum ad integram coniugationem una abundat syllaba, ut est hoc trimetrum choriambicum 'caduca' e. q. s. Idem pg. 164: ponamus enim exempli causa choriambicum trimetrum hypercatalectum, non ex solis choriambis sed admixtum, ut sit prima quaedam coniugatio diiambus, secunda choriambus, tertia diiambus et syllaba, quando hypercatalectum est ut est 'caduca' e. q. s. Idem versus pg. 165 bis recurrit leniter inmutatus. Scripsi de coniectura 'popli', id quod optimo confirmatur libro in quo est pg. 81 'poplicum aglauca'.

Atque idem restituendum ubique. — Videnda quae nuper disputavimus m. Rh. XXV, 2.

Fictum esse hunc versum a grammatico propter ipsam illam syncopen 'popli', quae exemplo caret alias, equidem minime crediderim; sed est fortasse Anniani. — Metrum autem idem, quod habes in Aeschyli Prometheo vincto vv. 128. 144

μηδὲν φοβηθῆς· φίλια γὰρ ἄδε τάξις.

λεύσσειν, Προμηθεῦ· φοβερά δ' ἑμοῖσιν ὄσσοις.

Aliud eiusdem numeri exemplum affert ad locum priorem scholiasta ex Sophoclis Tyro. — Eodem compositum Optatiani carmen XIII.

31. Servius ad aen. II, 15 instar — caret praepositione sicut peregre, quamvis Serenus lyricus *ad instar* dixerit. Exscripsit haec scholiasta Statii Bambergensis ad Theb. I, 419. — Serv. ad XII, 923 instar ut supra diximus per se plenum est nec recipit praepositionem, licet Serenus *ad instar* dixerit, quod in idoneis non invenitur auctoribus.
32. Servius ad aen. VI, 289: Serenus tamen poeta dicit Gorgonas puellas fuisse summae (vulgo 'unius') pulchritudinis, quas cum vidissent adulescentes stupore torpebant. unde fingitur quod siquis eas vidisset vertebatur in lapidem.
33. Servius ad aen. VIII, 762: poples po correpta est, sicut in Sereno legitur, sed producitur positione.

## VI. ALPHIVS AVITVS.

De Alphio Avito post Wernsdorfium praef. in poet. lat. min. p. III pg. 31 dixit Lachmannus in praefatione Ter. Maur. pg. XII; non tamen satis plene. De eodem egimus l. n. pg. 102 sq.

### Libri Excellentium.

Ter. Maur. vv. 2446 sqq. de dimetro iambico:

plerumque nec carmen modo,  
 sed et volumen explicat.  
 ut pridem Avitus Alphius  
 libros poeta plusculos  
 usus dimetro perpeti  
 conscribit excellentium.

Ex libro I.

1. marite, si sanguis Curis,  
 Sabina si caedes placet,  
 in me, oro, convertas manus.

Apud Priscianum pg. 633 post illa 'nunc in usu non sunt' quidam cdd. haec addunt: Alpheus (corr. Bondamus) tamen Avitus in I excellentium Curis posuit pro Quiris.

Ex libro II.

2. tum litterator creditos  
 ludo Faliscum liberos  
 causatus in campi patens  
 exeraque muri ducere  
 spatiano paulatim trahit  
 hostilis ad valli latus.

Priscianus pg. 823: illud tamen sciendum, quod in o supina tam corripiunt quam producunt auctores more verborum sive adverbiorum in o terminantium. Alphius Avitus in II excellentium. — V. 5 ad eandem rem probandam etiam adhibet Priscianus pgg. 809. 1136. 'Exeraque' Lachmannus, 'extraque' cdd.

3. seu tute malis hospites  
 seu tute captivos, habe.

Priscianus pg. 947 ubi ait id quod est tute correpta esse finali haec habet: 'Alphius Avitus in II excellentium 'seu tute' e. q. s. Sunt enim dimetri iambici. — 'Habe' Valesius, 'habes' cdd. (adhaesit s ex proximo vocabulo). Idem criticus minus recte ut puto illa 'mavis' et 'obsides'. Sunt autem verba litteratoris ad imperatorem Romanum.

## VII. MARIANVS.

De Mariano Lupercaliorum poeta disseruimus l. n. pg. 103. Videnda etiam quae notavit Leo ad ea quae adscripsit Servius sive potius interpolator nescioqui eclog. Verg. I versui 20.

1. sed diva flava et candida  
 Roma Aesculapi filia  
 nomen novum Latio facit,  
 quo conditricis nomine  
 iam Romam ab ipso omnes vocant.

Philargyrius ad ecl. I, 20: Roma et ante Romulum fuit; et a dea eam sibi nomen adquisisse Marianus Lupercaliorum poeta sic ostendit 'sed' e. q. s. Eosdem versus, si fides codicibus nonnullis, etiam Servius protulit ad h. l. Secuti sumus praeter ultimum v. Scaligeri, quae ad Manil. III, 775 prompsit, inventa. Nam apud Philargyrium haec leguntur testante Hageno: 'sed de flavo et cano ita Roma abs colapia nomen novum Latio facit, quod conditricis nomine ab ipso omnes Romam vocant'. Apud Servium, ubi similes sunt sordes, sed magis etiam incerta traditionis fides Marinus Lupercorum poeta audit.

## INCERTI AVCTORES.

1. dum semhiulco savio  
 meum puellum savior  
 dulcemque florem spiritus  
 duco ex aperto tramite,  
 anima aegra amore et saucia  
 cucurrit ad labias mihi,  
 rictumque in oris pervium  
 et labra pueri mollia,  
 rimata itineri transitus,  
 ut transiliret, nititur.

tum si morae quid plusculae  
 fuisset in coetu osculi,  
 amoris igni percita  
 transisset et me linqueret,  
 et mira prorsum res foret,  
 ut fierem ad me mortuus,  
 ad puerulum intus viverem.

Gell. XVIII, 11: Celebrantur duo isti Graeci versiculi multorumque doctorum hominum memoria dignantur, quod sint lepidissimi et venustissimae brevitatis. Neque adeo pauci sunt veteres scriptores, qui quidem eos Platonis esse philosophi adfirmant, quibus ille adulescens luserit, cum tragoediis quoque eodem tempore faciendis praeluderet:

τὴν ψυχὴν Ἀγάθωνα φιλῶν ἐπὶ χεῖ[λεσι]ν ἔσχον·  
 ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη.

Hoc *δίστιχον* amicus meus, οὐκ ἄμουσος adulescens, in plures versiculos licentius liberiusque vertit. Qui quoniam mihi quidem visi sunt non esse memoratu indigni, subdidi.

V. 1 scripsi 'semhiulco' pro semihulco. — ib. 2 'meum' v., 'meo' cdd. — ib. 4 'amore' add. Hertzius. — ib. 16 'ut fierem ad me' nos, 'ut ad me fierem' v.; cf. d. r. m. 248. — ib. 17 'puerulum' Hertzius, 'puerum' libri.

2. Elio nam gabalus

Hoc fragmentum heroici versus aequalis ut videtur Heliogabalo auctoris inter exempla tmesis affert Pompeius pg. 309 L. Cet. cf. d. r. m. 347. 366 sq.

3. natura sic est fluminis,  
 ut obvias imagines  
 receptet in lucem suam.

Servius ad aen. VIII, 96: ostendit adeo perspicuam fuisse naturam fluminis, ut in eo apparerent imagines nemorum quas Troianae naves secabant. Terentianus 'natura' e. q. s. Haec quae frustra quaeruntur apud Maurum cum vix sit probabile posita fuisse in ultima operum eius parte, alii potius

poetae neoterico ac fortasse Sereno videntur adscribenda. Ceterum in Parisino libro 7929 perperam legitur 'sic est natura' et 'imagineis'.

4.                   huc ades Lyaeae,  
                       Bassareu, bicornis,  
                       Maenole, bimater,  
                       crine nitidus apto;  
                       luteis corymbis  
                       hedera te coronet.  
                       hasta viridis armet.  
                       placidus ades ad aras,  
                       Bacche, Bacche, Bacche.

Afferit Atilius Fortunatianus pg. 312 in exemplum metri ithyphallici. Vltimum versum ibidem etiam promit, nec minus Terentianus v. 2594 et Victorinus pg. 162. Idem carmen ex inediti tractatus de versibus codice Neapolitano descripsit Heinsius. Primum metrum Diomedii quoque memoratum pg. 511. Denique Victorinus pg. 125 ubi narrat ithyphallicum numerum saepe solvi in tribrachyn profert vv. 7. 8, sed alterum per interpolationem foedissimam scriptum ita: 'placidus percipe munus'. Cf. ann. philol. a. 1866 pg. 863. V. 3 'Maenole' Vngerus in analectis Propertianis pg. 53; v. 'Maenale' sive 'Maenalie', unde Aldus per interpolationem 'Nytelie'. — 'apto' nos, 'apte' v. — Anniani vel Sereni esse hoc carmen non abhorret a probabilitate.

5. [Roma, Roma, cerne quanta sit deum benignitas]

Mar. Vict. pg. 70 et Augustinus de musica V, 7 et saepius pro exemplo tetrametri trochaici afferunt. Ceterum videndum frg. 8.

6.                   Inachiae puellae  
                       seu bovis ille custos.

Ter. v. 2525 sqq.: et choriambus unus praeditus antibaccho claudicat ut priores. videro si novelli versus erit poetae.

7. hostem tegerest paratus et stat ipse nudus.

Ter. v. 2046.

8. urbem tenuem foveant opum benignitate.

Ter. postquam enarravit etiam quinque trochaeos in metro sotadeo reperiri v. 2044 sic pergit: dabo versiculos quo tibi res magis probetur 'urbem' e. q. s.

9. uvas nitidis frontibus Euhæan hederis inligat.

Exemplum tetrametri ionici acatalecti affert Victorinus pg. 123 sine nomine auctoris. Falsus Atilius pg. 345 cuinam tribuat non satis constat. Nam quod legitur in codice Vaticano 'apud Cleomæum invenitur' aperte corruptum est, ut editionis Mediolanensis illud 'apud C. Ienatem'. Alii Maecenati tribuere; sed est haud dubie poetae saec. u. c. X.

10. o qui chelyn canoram plectro regis Italo.

Atilius pg. 320 ubi metrum galliambicum describit 'et ille alterius auctoris: o qui' e. q. s. Hunc versum cum sequente cur neoterico potissimum poetae tribuam apparebit ei qui legerit quae libri nostri pg. 109 dicta sunt. — De coniectura mea venit illud 'regis'; vulgo 'regit'.

11. rutilos recide crines habitumque cape viri.

Affert Diomedes, ubi de galliambico metro agit pg. 514. Videnda quae dixi ad fragmentum praecedens.

12. Diomedem modo magnum dea fecit, dea belli  
dominatrix, Phrygas omnis ut in armis superaret.

patulis agmina campis iacuerunt data leto.

pavidi tergaque dantes petierunt trepidæ moenia Troiae.

Terentianus vv. 2056 sqq.: apellasonos autem ratione qua regatur cum de pedibus dissererem satis probavi [1511—1516]. Sed quale metrum continuet nunc referemus. dixi Diomedem pedis huius esse formam. in carmine sic est 'Diomedem modo magnum'. Sequentia tribus tetrametris unoque trimetro dispe-  
scunt Santenius, Gaisfordius, Lachmannus. At Bent-





# I. INDEX METRORVM.

1. versus heroicus.
2. disticha.
3. tetrametri dactylici catal. in syll.

Sereni 1. 2.

4. tetr. dact. cum trimetris catalecticis in syllabam.

Ser. 3.

5. versus paroemiaci.

Anniani 1. 2 et Ser. 4—7.

6. tetrametri anapaestici brachycatalectici.

Ser. 8. 9.

7. metrum aristophanium.

Ser. 10.

8. anapaestici ut videtur dimetri soluta nimirum ubique praeter ultimam arsi.

Ser. 11—13.

9. dimetri iambici.

Hadr. 2. Ser. 14—17. Alph. 1—3. Mar. 1. Inc. 1. 3.

10. trimetri admissis promiscue spondeis.

Apul. 1. Annianus 4.

11. versus ityphallici.

Inc. 4.

12. dimetri troch. acatal.

Ser. 18.

13. dimetr. catal.

Ser. 18. 19.

14. tetr. catal.

Flor. 2—9. Ap. 4. Ser. 20. 21. Inc. 5.

15. dimetri cretici.

Ser. 22.

16. versus choriambici Aristophanei.

Inc. 6.

17. tetrametri choriambici catalectici.

Ser. 23.

18. tetrametri ionici a maiori catalectici in disyllabum  
(versus Sotadei).

Ser. 24. Inc. 7. 8.

19. tetr. ion. a maiori acatalectici.

Inc. 9.

20. versus dimetri ionici a minori cum anaclasi, qui et  
anacreontei.

Hadr. 1. Florus 1.

21. versus galliambici duplicato orti anacreonteo, sed  
altero catalectico.

Inc. 10. 11.

22. tetrametri ionici a minori.

Inc. 12.

23. item pentametri.

24. metrum calabrium.

Ann. 3.

25. versus glyconeï.

Ser. 25. 26. Inc. 13. 14.

26. versus phalaecii.

Ser. 27.

27. pentameter elegiacus cretico finitus.

— — — — — | — — — — —

Ser. 28.

28. metrum archebuleum.

— — — — — — — — — — — — — — —

Ser. 29.

29. versus ex penthemimeri iambica et ionico anacreonteo compositi.

— — — — — | — — — — — — — — —

Ser. 30.

## II. INDEX NOMINVM


- |                            |                             |
|----------------------------|-----------------------------|
| Aborigineus Ser. 23.       | Gorgones Ser. 32.           |
| Aesculapius Mar. 1.        | Hercules Ser. 19.           |
| Aminea Ann. 3.             | Ianus Ser. 23.              |
| Amor Flor. 12. Inc. 13.    | Inachus Inc. 6.             |
| Apollo Flor. 4.            | Iovis Ap. 5.                |
| Arabicus Apul. 1.          | Italus Inc. 10.             |
| Bacchus Flor. 1. Inc. 4.   | Latium Mar. 1.              |
| Bassaricus Inc. 4.         | Laverna Ser. 18.            |
| Britannus Flor. 1.         | Liber Flor. 4.              |
| Caesar Flor. 1.            | Lyaeus Inc. 4.              |
| Calpurnianus Apul. 1.      | Maenoles Inc. 4.            |
| Cato Flor. 7.              | Orontes Ann. 2.             |
| Charinus Ap. 2.            | Pallas Ser. 18.             |
| Critias Ap. 2. 3.          | Panope 8. 26.               |
| Curis Alph. 1.             | Phryx Inc. 12.              |
| Cypris Flor. 12.           | Picenus Ser. 10.            |
| Diomedes Inc. 12.          | Roma Mar. 1. Inc. 4.        |
| Eliogabalus Inc. 1.        | Romanus Flor. 7.            |
| Eous Ann. 2.               | Sabinus Alph. 1.            |
| Euhan Inc. 9.              | Socrates Flor. 7.           |
| Falernus Ann. 1.           | Scythicus Flor. 1.          |
| Falisci Alph. 2.           | Stygius Ap. 5.              |
| Falisca tit. Ann. carn.    | Troia Inc. 12.              |
| Feretrius Inc. 13.         | Tulla Ser. 5.               |
| Fescennini tit. Ann. carn. | Venus Flor. 13.             |
| Flaminia Ser. 28.          | Voconius cf. quae addidimus |
| Florus Hadr. 1.            | ad Hadr. 2.                 |

## III. INDEX GRAMMATICVS.

- ad instar Ser. 31.  
 adcingier? Ser. 16.  
 amblare Hadr. 1. Flor. 1.  
 Amīnea Ann. 3.  
 avipes Ser. 12.  
 catus Ser. 23.  
 chromatium? Ser. 3.  
 converritor Ap. 5.  
 cortex fem. Flor. 5.  
 delicia Ap. 2.  
 deminutivae nominum formae  
 propter imitationem Catulli  
 et aequalium crebrae apud  
 poetas n. c. X.  
 Diomedes.  
 Diomedem Inc. 12.  
 donax Ap. 3. Ser. 21.  
 effluo Flor. 2.  
 eo.  
 iet? Ser. 8.  
 fio.  
 fierem? Inc. 2.  
 hic.  
 hasce Ap. 2.  
 inquit antepositum orationi.  
 Iovis nom. Ap. 5.  
 margo fem. Ser. 10.  
 mundiciānae App. 1.  
 occatio ab occaecando Ser. 15.  
 officia Flor. 7. an officia?  
 Orontes.  
 Oronti Ann. 2.  
 plusculus Inc. 2.  
 populus pro pōpulus Ser. 30.  
 properiter Ser. 11.  
 pudor; cf. Flor. 8.  
 puellus Inc. 2.  
 puerulus Inc. 2.  
 reliquiae Ap. 1.  
 rutundus Hadr. 1.  
 savium Ap. 3. Inc. 2.  
 semihulcus non semihulcus  
 Inc. 2.  
 semiremex? Ser. 19.  
 sibilum Ser. 17.  
 Socrates acc. plur. Flor. 7.  
 templa mundi? cf. Ser. 23.  
 teter Ap. 1.  
 testula trita pro speculo Ser. 8.  
 tmesis Elio — gabalus Inc. 1.  
 tutē Alph. 3.  
 vago Ser. 2.  
 virgo rosa Flor. 11.  
 viridus Ser. 2.  
 -um pro orum: Faliscum Alph  
 2. deum Inc. 5.
-









LL

R0779M

Author Rutilius Namatianus, Claudius

Title De reditu suo. Libri 2; ed. by L. Hevelier.

DATE.

NAME OF BORROWER.

**University of Toronto  
Library**

**DO NOT  
REMOVE  
THE  
CARD  
FROM  
THIS  
POCKET**

Acme Library Card Pocket  
LOWE-MARTIN CO. LIMITED

